DE ROMANORUM VOCABULIS PONTIFICALIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS KRETZER

HALBERSTADENSIS

HALIS SAXONUM

TYPIS WISCHANI ET WETTENGELI

MDCCCCIII

GEORGIO WISSOWA

SACRUM

I.

Qui Romanorum grammaticorum antiquariorumque libros perlegerint, haud raro ea vocabula invenisse puto, quae pontificalium verborum nomen prae se ferunt, ut puta Serv. ampl. Aen. II 119: *Videtur sane peritia iuris pontificalis animalis hostiae mentionem fecisse, cum dicit animaque litandum Argolica, nam et animam dixit, et litare* verbo pontificali *usus est, id est sacrificiis deos placare.* Serv. Aen. I 519: *orantes veniam .... et proprie* verbum pontificale *est.* Serv. Georg. III 16: *templumque tenebit .... et proprie* verbo *usus est* pontificali. Similiter Macrob. Sat. III 5, 6: *eximii quoque sacerdotale nomen est.* Haec appellatio ficta est a grammaticis, qui ubi primum lingua Latina doctorum virorum studia in se traxit, ad eos imprimis fontes animos adverterunt, e quibus maximam antiquitatis scientiam haurire se posse confidebant. Atque ex iis duodecim tabulas et pontificum commentarios principem locum obtinuisse etiam Cicero nos docet; legimus enim de or. I 43, 193: *Et in omni iure civili et in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum vetustas cognoscitur et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant.* Itaque libros qui laudantur *de verbis priscis* (Fest. p. 214. 265. 277), *commentarius sacrorum* (Fest. p. 165), *explanatio XII tabularum* (Fest. p. 253), *commentarius iuris pontificii* (Fest. p. 166. 249) maximam partem talium vocabulorum oblitteratorum explicationes continuisse perspicuum est. Sed qui illorum librorum fragmenta accuratius inspexerit, eum non fugisse puto, id quod etiam exemplis supra allatis ostenditur, praeter illa intermortua verba alia quoque ut pontificalia designari, quae in communi hominum sermone versari non desierant. Itaque cum quaeritur quid sint vocabula pontificalia, duo quasi genera eorum distinguere possumus,

quae qua sint natura hoc fere modo statuitur: cum ad collegium pontificum pontifices ipsi, rex sacrorum, flamines, virgines Vestae pertineant, vocabula pontificalia ea sunt, quae ab his in sacerdotali munere fungendo usurpata a grammaticis ut obsoleta iam et paene intermortua ex commentariis sacrorum exscripta explicataque sunt. His autem adiungenda sunt ea, quibus recentioribus temporibus nondum oblitteratis pontifices in certis sacrificiorum actionibus certam quandam vim a communi vocabuli usu alienam attribuere solebant; quam ob causam factum est, ut etiam ea a viris doctis in pontificalibus numerarentur.

Sed priusquam ad singula expedienda intendamus animum, quibus indiciis in rerum scriptorum libris haec vocabula agnoscamus paucis explicandum est. Verbo cum pontificali nobis rem esse luculentissime apparere satis perspicuum est, si docemur pontifices eo usos esse, vel ex libro quodam pontificali sumptum id esse, vel in sacrificiis illud adhiberi, ad sacra hoc verbum aptum esse vel talia. Praeterea si quaedam res describitur, velut vestimentum, instrumentum, quae ad res sacras pertinent, quin vocabula pontificalia sint, dubium non est. Sed ne diutius in hac re moremur, en nonnulla exempla: Fest. p. 169a 22: *Napuras nectito cum* dixit pontifex, *funiculi ex stramentis fiunt.* Macrob. Sat. III 4, 15: *Masurius secundo Fastorum: Liberalium dies* a pontificibus *agonium Martiale* appellatur. Fest. p. 166a 4: *Labeo* in commentario iuris pontificii *ait nauteam rubidum quiddam esse, quo pontificum quaedam vestimenta colorent.* Macrob. Sat. III 5, 6: *eximii quoque* in sacrificiis *vocabulum est.* Paul. Fest. p. 16,9: *Arculata dicebantur circuli, qui ex farina* in sacrificiis *fiebant.* Serv. Aen. I 704: *adolere est proprie augere.* in sacris *autem κατ᾽ εὐφημισμόν adolere per bonum omen dicitur* e. q. s. Paul. Fest. p. 12,2: *adtegrare est vinum* in sacrificiis *augere* . . . . e. q. s. Serv. ampl. Aen. XII 170: *nonnulli autem porcum, non porcam in foederibus adserunt solere mactari, sed poetam*

periphrasi usum propter nominis humilitatem; intonsam vero bidentem dixisse, quam pontifices *altilaneam* vocant. Paul. Fest. p. 10,1: *Acieris securis aenea, qua* in sacrificio utebantur sacerdotes. Fest. p. 348a 4: *Secespitam esse Antistius Labeo ait cultrum ferreum, ... quo* flamines . . . pontificesque ad sacrificia utuntur . . . . e. q. s. — Sed sunt etiam alia indicia, quibus moniti vocabulum aliquod ut pontificale designare possumus, etiamsi non diserte tale quoddam id esse dictum invenimus. Festus, cui notitiam multorum verborum pontificalium debemus, p. 238b 10—20 tres exhibet glossas, quarum primam tertiamque (v. *Porcam auream* et *Propudialis*) ex Atei Capitonis libro de iure pontificio se sumpsisse confitetur. Glossam autem in medio interpositam: *Pulcher bos appellatur ad eximiam pinguitudinem perductus* et ipsam ex illius viri docti opere manasse et per se patet et demonstravit v. d. Ricardus Reitzenstein [1]). Similiter cognoscitur vocabulum quoddam ex pontificio sermone originem ducere, si cum aliis vocibus coniunctum invenimus, quae sine dubio verba pontificalia sunt: Fest. p. 218a 25: Porriciam *porro iaciam maxime* de extis *dicebant antiqui.* Liv. XL. 15,4: *senatus maioribus hostiis usque* ad litationem *sacrificari iussit:* Serv. ampl. Aen. II 119: *et* litare verbo pontificali *usus est.* Paul. Fest. p. 21,7: Ablegmina *partes* extorum *quae diis immolantur.* — Praeterea haud raro in libris scriptorum ecclesiasticorum de cultu et sacrificiorum Romanorum ritu verba fiunt nusquam addito cum pontificalibus vocibus rem nobis esse. Luculentissimum fortasse omnium exemplum exhibet Arnobius in libri adversus nationes VII capite 24, in quo talium vocabulorum quasi totas greges agnoscas.

Talia igitur cum sint indicia quibus vocabula ponti-

---

1) *Verrianische Forschungen. Bresl. Philol. Abhandlg.* I 4 (1887) p. 28.

ficalia agnoscantur, interdum res quae ad sacra pertinent, invenimus, quarum nomina in hanc collectionem non recepi; partim enim non certae originis pontificalis sunt, partim in communi usu loquendi versari non desierunt. Ad quae pertinent, quae Gell. N. A. XV 27, 1 de *calatis comitiis,* Paul. Fest. p. 88,6 v. *Faventia* afferunt; cf. etiam Paul. Fest. p. 103,1 v. *Infulae;* p. 157b 25 v. *Mensae;* p. 158b 28 v. *Muries;* p. 249b 17 v. *Patellae.* Serv. Aen. XII 779. *Profanum.* Fest. p. 278a 21: v. *Regia.* Macrob. Sat. I 15, 19: *Regina sacrorum.* Fest. p. 289a 15 v. *Religiosi.* Macrob. Sat. III 3, 2 *Sacrum.* id. III 3, 5 *Sanctum.* Fest. p. 371b 6 v. *Victimam.*

Quoniam disseruimus, quibus indiciis adiuti vocabula pontificalia investigemus, iam quaeritur, quomodo illorum scientia ad nostram aetatem tradita sit; illorum enim librorum,[1]) qui primum ea continebant, nulla fere vestigia manent, nisi tituli nonnulli, qui feruntur: *pontificalia* Serv. ampl. Aen. IX 641; *commentarii sacrorum* Fest. p. 165; *pontificum libri* Fest. p. 249b 28; *commentarii pontificum* Plin. n. h. XVIII 24; *libri sacrorum* Serv. ampl. Verg. Ecl. VII 31; *pontificii libri* Fest. p. 356a 14 vel talia plura. Grammaticorum autem scripta in quibus illi ea vocabula magna cum doctrina haud raro errantes interpretabantur, plane fere perierunt; etiam iurisconsultorum, qui illorum doctis operibus usi iuris pontificii commentarios composuerunt, misera tantum fragmenta tradita sunt. Itaque iis libris, in quibus nunc vocabula

---

[1]) De quibus scripsit P. Preibisch *Quaestiones de libris pontificiis,* Diss. Vratislav. 1874. Idem paulo post collectionem vocabulorum pontificalium proposuit in Ind. schol. Tilsitensi 1878. Prioris opusculi in altera parte singulorum verborum pontificalium ea tantum composuit, quae ei in scriptoribus legendis obvenerunt, eandemque rationem in altera collectione secutus est. Itaque cum de verborum et fontibus et significationibus nihil addiderit, in hac commentatione illarum collectionum nullam rationem habebimus.

pontificalia inveniuntur, obiter enumeratis indagare volumus unde hic vel ille rerum scriptor hanc scientiam hauserit. Inter omnes, quibus notitiam talium verborum debemus, principem locum tenent Varro, Festus cum Paulo, Gellius, Servius, Macrobius. Alia apud alios scriptores leguntur, e quibus hoc loco glossographorum tantum Latinorum mentionem facimus, quod in his exscribendis cum cautione agamus oportet; nam haud raro contigit, ut quae ex Graecis ritibus hausta sunt, pontificibus attribuantur; velut Corp. gloss. Lat. V 585, 2: *Carchesia vasa pontificum circa mediam partem coangustata dependentibus ansis summo usque ad infimam partem* vel V 8, 7: *Batioca patera argenti ad sacrificandum*, quocum cf. Graecum βατιάκη: Diphil. ap. Athen. XI 484e. — Eodem pertinent, quae Paul. p. 57, 1 de *cervaria ovi* et p. 119, 13 v. *Lucem facere* (cf. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 169 extr.) dicit.

Sed iam ad quaestiones ad singulos pertinentes veniamus initiumque faciamus a Varrone.

Quod legimus apud Ciceronem (Brut. 205 sq.): *Aelius .... eruditissimus et Graecis litteris et Latinis antiquitatisque nostrae et in inventis rebus in actis scriptorumque veterum litterate peritus, quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese .... pluribus et illustrioribus litteris explicavit,* ita fere intellegendum esse puto, ut Aelium Stilonem celeberrimum illum primum philologum a Varrone exscriptum esse censeamus. Id quod viri docti in nonnullis Varroniani operis partibus probaverunt. Reitzensteinio enim in libro, qui inscribitur *M. Terrentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita* (Lipsiae 1901) Johannis illius carmine etymologico quam diligentissime examinato contigit, ut statueret Varronem non ita magna cum verecundia expilavisse Aelium Stilonem, cui attribuenda sunt libri V §§ 16—18, in quibus Aelius etiam laudatur, VI § 3, VII §§ 6. 7. 12. 72. 73—75, VIII §§ 26—84. Illius autem vestigia aliis quoque locis cum inveniantur, — nomen enim etiam V 21. 25. 66. 101.

VI 7. 59. VII 2 citatur — Varronem maximam sui operis partem ex eorum qui ei praecesserunt scriptis excerpsisse credibile est, ad quae ipse admodum pauca addidit. Omnium autem, quorum libros adire potuit, celeberrimus erat Aelius Stilo, cuius quanta tum fuerit auctoritas, cum tam misera fragmenta nostram aetatem tulerint, magis conicere quam probare possumus. Haec quoque commentatio eo nos adducit, ut Aelium Stilonem totius fere Varroniani libri quasi fundamentum esse intellegamus: Verrius enim Flaccus Varronis librorum de lingua Latina scriptorum ne semel quidem mentionem facit, et si iam inde colligitur eum hoc usum non esse, id probatur argumento iam ab Odofredo Müllero (ed. praef. p. XXIX annot. 6) prolato : scilicet Festus p. 238b 8 v. *Porcas* huius vocis id etymon, quod Varro de r. r. I 29 proposuit, non illud quod de l. l. V 39 legitur, in Verrii libris invenit. Quae cum ita sint, sane mirum videri debet, quod Festus Varroque tam saepe tantopere concinunt inter se. Ad quod explicandum nil aliud restat, nisi ut utrumque ex eodem fonte hausisse existimemus. Id quod uno loco plane ostenditur: Varro enim (de l. l. V. 25) et Festus p. 217b 8 iisdem fere verbis quid sint puticuli nos docent, et uterque confitetur se hoc secundum Aelium Stilonem exponere.[1])

[1]) Varro de l. l. V 25: . . extra oppida a puteis puticuli, quod ibi in puteis obruebantur homines, nisi potius, ut Aelius scribit, puticulae, quod putescebant ibi cadavera proiecta, qui locus ultra Esquilias.

Fest. p. 217b 8: ⟨Puticulos dicunt esse ap⟩pellatos, ⟨quod vetustissimum genus sepulturae in pu⟩teis fuerit, ⟨eumque locum fuisse publicum ....⟩ extra p⟨ortam Esquilinam ..... Sed⟩ inde p⟨otius appellatos esse existimat puti⟩culos Aeliu⟨s Stilo quod cum in eum locum patres⟩ familias ⟨pecudes morticinas et⟩ vilia proicer⟨ent mancipia ibi cadavera⟩ ea putesc⟨erent⟩ —

Liceat mihi hoc loco inserere, quod ex Festo sive Verrio Flacco, qui Stilonis scripta non minus quam Varro adiit, de eo cognoscere possumus. Aelii nomen in Festi reliquiis triginta locis invenitur. Explanationem eius carminum Saliarium, quam Varro de l. l. VII 2 laudat, Festus p. 141a 20 v. *Molucrum* citat. Ad eandem aliae quoque glossae pertinent: p. 146b 20 v. *Manuos*, p. 210b 5 v. *Pescia*, p. 329a 20 v. *Salias virgines*. Cum quae p. 146b 20 v. *Manuos* secundum Aelium dicta sunt, p. 122, 4 redeant, hunc quoque locum Stiloni deberi Reitzenstein [1]) coniecit. Idem quae p. 122, 3 v. *Meltom*, p. 205, 10—26, p. 290, 26—32 leguntur, cum ad carmina Saliaria pertineant, ad commentarium illum Stilonianum rettulit.

Reliquarum Stilonis glossarum sex ad res sacras pertinent: p. 141a 20 v. *Molucrum*, p. 193a 4 v. *Obstitum*, p. 277a 17 v. *Refriva faba*, p. 309a 25 v. *Subucula*, p. 317b 24 v. *Sanctum*, p. 371b 6 v. *Victimam;* p. 309a 25 post glossam *Subuculam* legimus v. 30: *Sub vos placo in precibus cum dicitur* . . . e. q. s.: haec sine dubio ex pontificum precatione sumpta sunt; cum quae ante ea sunt, Stiloni debeantur, fortasse haec quoque glossa ex illius scriptis manavit.

Aelii autem Stilonis cum auctoritas inter eos, qui tum erant, tanta esset, nostris temporibus non defuerunt, qui omnibus quae habemus eius librorum fragmentis quam diligentissime collectis, qua eius libri fuerint indole nobis ostenderent. Atque ut omittamus ea quae vv. dd. Mommsen [2]) et Norden [3]) de eo disseruerunt, tredecim abhinc annis v. d. Mentz [4]) omnia quae de eo nota sunt congessit et

---

[1]) *Verrian. Forschung.* p. 90—91.

[2]) *Histor. Rom.* II^{7} p.457.

[3]) *De Aelio Stilone, Varrone, Cosconio,* Ind. lect. Gryphisw. 1895.

[4]) *De Lucio Aelio Stilone* Comment. Jenens. philol. IV. 1890 p. 1—60.

vitam, doctrinam librosque eius descripsit. Praeter interpretationem carminum Saliarium cuius supra mentionem fecimus, is liber et tum et posterioribus temporibus maximi momenti fuit, quem Mentz (l. c. p. 22) librum etymologicum appellat. At tamen nusquam talis titulus invenitur. Sed, puto, iam Varronis Verriique fragmenta sufficiunt, ut Aelium talem librum composuisse statuamus. Qui qua fuerit indole dubii haerere non possumus iis glossis, quas Festus Aelio debet, paulo accuratius inspectis. Itaque non dubito consentire Mentzio, qui de huius libri forma haec dicit (p. 21): *Et illum librum ita puto institutum fuisse, ut Aelius multa verba aut rara aut obsoleta colligeret et partim etymologia, partim exemplis undique litterarum sumptis, partim utraque ratione illustraret. glossographicum igitur videtur fuisse opus* . . . . e. q. s. Ad librum hoc modo institutum omnia quae Festus secundum Stilonem exponit, perbene quadrant. Mentzio autem, qui glossas, quae leguntur p. 138b 18 v. *Monstrum,* p. 193a 4 v. *Obstitum,* p. 277b 17 v. *Refriva faba,* p. 309a 25 v. *Subucula* Aelii illi carminum Saliarium interpretationi adscribit, fidem denegamus. Primum enim nullum indicium invenitur, quo moneamur, ut eas illi libro attribuamus, cum altera ex parte nihil nos impediat, quominus eas ex libro illo etymologico manasse putemus, cuius haud minimam partem talia vocabula ex sacris sumpta continuisse perspicuum est.

Sed ut redeamus ad Varronem, vocabula ad res sacras pertinentia, quae ex illius libris haurire possumus, utrum omnia Stiloni ascribenda sint necne, dubium est. Quamvis enim saepe eiusdem verbi eandem explicationem et apud Festum et apud Varronem inveniamus, non minus tamen saepe talium verborum definitiones plane diversae proferuntur. Quod ut planius demonstrarem, eas interpretationes, quae ex eodem fonte sumptae esse videntur, sub littera **A** composui, cum sub littera **B**

eae congestae sint, quas utrumque ex alio auctore exscripsisse apparet:

A

Varro.	Festus (Paulus).
de l. l. V 84: Flamines, quod in Latio capite velato erant semper ac caput cinctum habebant filo, filamines dicti.	p. 87,15: Flamen Dialis dictus, quod filo adsidue veletur; indeque appellatur flamen, quasi filamen . . .
de l. l. V 121: Capides et minores capulae a capiendo, quod ansatae, ut prendi possent, id est capi.	p. 48,9: Capis, poculi genus dictum a capiendo.
de l. l. V 124: qui vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis guttum appellarunt.	p. 98,13: gutturnium vas ex quo aqua in manus datur, ab eo quod propter oris angustias guttatim fluat.
de l. l. VI 12: Dies Agonales, per quos rex in regia arietem immolat . .	p. 10,5: Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat . . .
de l. l. VI 15: Fordicidia a fordis bubus; bos forda quae fert in ventre	p. 85,13: Fordicidiis boves fordae, id est gravidae immolabantur . . . .
de l. l. VI 28: Nonae appellatae aut quod ante diem nonum Idus semper, aut quod ut novus annus Kalendae Ianuariae ab novo sole appellatae, novus mensis a nova luna Nonae.	p. 173a 26: Nonas quidam a nova luna, quod in eas concurreret principium lunae, alii quod semper ante diem Iduum nonum essent . . . .

de l. l. VI 54: hinc fana nominata, quae pontifices in sacrando fati sunt finem.	p. 93,17: Fana, quod fando consecrantur.
de l. l. VII 12: tueri . . . a quo etiam quidam dicunt illum, qui curat aedes sacras aedituum, non aeditomum	p. 13,6: Aedituus aedis sacrae tuitor, id est curam agens.
de l. l. VII 44 (apud Ennium): Libaque, fictores, Argeos et tutulatos . . . Tutulati dicti hi, qui in sacris in capitibus habere solent, ut metam; id tutulus appellatus ab eo quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis quos habent vitta velatos dicebantur tutuli, sive ab eo quod id tuendi causa capilli fiebat, sive ab eo quod altissimum in urbe quod est, arx, tutissimum vocatur.	p. 355a 29: Tutulum vocari aiunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus et exstructum in altitudinem. Quidam pileum lanatum forma metali figuratum, quo flamines ac pontifices utantur, eodem nomine vocari. Ennius: libaque fictores, argeos et ⟨tutulatos⟩.
de l. l. VII 67: (Plautus) in Cesistione: De stribulo aut de lumbo obscoena viscera. Stribula ut Opilius scribit, circum coxendices sunt bovis; id graecum est ab eius loci versura.	p. 313a 34: Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas G⟨raeci μηρία dicunt, quae⟩ in altaria im⟨poni solebant, ut Plau-⟩tus ait in Fri⟨volaria⟩ . . .

B

de l. l. V 130: Sic rica ab ritu, quod Romano ritu sacrificium feminae cum faciunt, capita velant.	p. 289b 19: Rica est ⟨vestimentum quadratum⟩ fimbriatum pur⟨pureum quo flaminicae pro⟩ palliolo mitrave ⟨utebantur, ut......⟩ existimat. Titi⟨us autem ait, quod ex lana fiat⟩ sucida alba vesti⟨mentum dici ricam, idque esse⟩ triplex quod conf⟨iciant virgines inge⟩nuinae, patrimae ma⟨trimae, cives, quod confec⟩tum lavetur aqua pe⟨renni et tingendo fiat caeru⟩leum.
de l. l. V 133: Laena quod de lana multa, duarum etiam togarum instar; ut antiquissimum mulierum ricinium, sic hoc duplex virorum.	p. 117,10: Laena vestimenti genus habitu duplicis. Quidam appellatam existimant Tusce, quidam Graece, quam χλανίδα dicunt.
de l. l. V 157: Locus qui vocatur Doliola ad Cluacam maximam, ubi non licet despuere, a doliolis sub terra. Eorum duae traditae historiae, quod alii inesse aiunt ossa cadaverum, alii Numae Pompilii religiosa quaedam post mortem eius infossa.	p. 69,8: Doliola locus in urbe sic vocatus, quia invadentibus Gallis Senonibus urbem sacra in eodem loco doliolis reposita fuerunt. Qua de causa in eodem loco ne despuere alicui licebat.

Quae cum ita sint, recte fortasse eas glossas, quas uterque eodem modo explicat — exceptis sane iis quas Varro Aurelio Opilio se debere confitetur —, quippe quae

ex uno auctore descriptae videantur, ad Aelium Stilonem referimus.

Varronem autem ex compluribus scriptoribus sua hausisse iam ante dictum est. Reitzenstein enim, cum l. VI certa capita Aelio Stiloni attribueret, in quibusdam aliis vestigia grammatici operis invenit eaque — sunt autem §§ 35—40, 79, 86—95, 96 ac fortasse etiam 44, 45, 50, 69—74, 76 — ut commentationis cuiusdam de verbis scriptae reliquias Cosconio dedit, cuius nomen hoc loco bis — §§ 36 et 89 — laudatur.

Similem rationem Varro in l. VII componendo secutus esse videtur. Huius paragraphi 6, 7, 12, 72, 73—75 Stiloni debentur. Toto autem fere libro id agit, ut verba a poetis posita explicet atque ita, ut primum de locis, dein quae in locis sunt, tertio de temporibus, tum quae cum temporibus sunt coniuncta, dicat. Laudatur vero in his paragraphis sex locis Aurelius Opilius, atque in iis semper quae a Stilone aliena sunt: §§ 50, 65, 67, 70, 79, 106. Huius igitur libri Varro nonnullas paragraphos Opilio debet; quod ut suspicemur hac quoque deliberatione adducimur: § 10 in explicanda voce *tesca* impugnat eos *qui glossas scripserunt,* quod *templa tesca sancta* significare contenderint; id dicit esse falsum, errorem autem eo ortum esse, quod Romae pleraeque aedes sacrae templa essent eademque sancta, et quod loca quaedam agrestia, quae proprie tesca dici oporteret, alicui deo sacrata essent. Haec Varro; Festus autem p. 356 a 4 certiores nos facit Aurelium Opilium dixisse tesca loca ad augurandum consecrata (i. e. sancta) esse. Videtur igitur Varro sententiam Aurelii Opilii refutasse, cui cum exscriberet non assentiebatur.

Quoniam vidimus quibus doctorum virorum scriptis Varro notitiam vocabulorum pontificalium debeat, iam quaeritur, qui Festo praeter Aelium Stilonem ea tradiderint. Postquam Reitzenstein libro illo quem supra laudavi Odofredum Müllerum eosque qui eum secuti sunt, quaenam

ratio intercederet inter Festi quas habemus reliquias Verriique quos ille compilavit libros, falso explicasse demonstravit, illas ut Verrianas accipere et de illorum scriptis, e quibus vocabula pontificalia Verrius hausit, nonnulla proferre possumus. Verrium autem Flaccum ipsum ea legisse et excerpsisse comprobatur primum, cum ex uno eodemque scriptore multa et magna fragmenta inveniuntur eaque ad verbum prolata, deinde cum tituli numerique librorum, quibus usus est, nominantur, denique cum glossae ex tali quodam libro sumptae alia aliam sequuntur vel inter se vicinae inveniuntur.[1]) Sicut iam supra dictum est, et grammatici et iurisconsulti Verrio notitiam vocabulorum pontificalium tradiderunt; et re vera laudantur utriusque disciplinae scriptores: grammatici Aelius Stilo, Cloatius, Veranius, Sinnius Capito, Aurelius Opilius, Cincius, Titius; iurisconsulti Aelius Gallus, Antistius Labeo, Ateius Capito.

De Aelio autem Stilone cum iam ante satis multa verba facta sint, initium faciamus ab eo, qui artissimo vinculo cum illo coniungendus est, a Cloatio, quem pleno nomine Cloatium Verum appellatum esse Gell. N. A. XVI 12 nos docet. Librorum eius duo laudantur tituli a Gellio et a Macrobio. Gell. l. c. dicit *in libris, quos inscripsit verborum a Graecis tractorum* laudatque huius operis librum quartum; eodem loco Hypsicratem[2]) quendam affert, cuius libri sane nobiles esse dicuntur super his quae a Graecis accepta sunt, quo Cloatius sine dubio usus est. Eundem titulum legimus apud Macrobium (Sat. III 18, 4): *Cloatius Verus in libro a Graecis tractorum.* Idem alium Cloatii librum laudat Sat. III 6, 2: *Cloatius Verus ordinatorum Graecorum*

---

[1]) Reitzenstein *Verrian. Forschung.* p. 80.

[2]) Eundem Varro de l. l. V 88 nominat et apud Paul. p. 8 v. *Aurum* pro Hippocrate ponendum eum esse iam Scaliger probabiliter coniecit.

libro II docet . . . e. q. s., cf. Sat. III 18, 8: *Cloatius in ordinatorum Graecorum libro quarto.*

Festus Cloatium 6 locis laudat: p. 141a 25 v. *Molucrum,* p. 189a 25 v. *Obscum,* p. 193a 4 v. *Obstitum,* p. 213a 29 v. *Piacularis porta,* p. 309a 26 v. *Subucula,* p. 318a 24 v. *Sacrima.*

Ubique verba interpretatur, quae ad res sacras pertinent; ea autem ex uno vel altero librorum supra dictorum hausta esse cum vix sibi quispiam persuaserit, nihil aliud restat, nisi ut tertium librum de vocabulis priscis vel talem quendam eum composuisse statuamus. Fortasse id quod apud Fest. p. 141a 25 legimus eo nos adducit, ut suspicemur, qui fuerit illius libri titulus; legimus enim: *Cloatius autem* ⟨*et Aelius Stilo*⟩ *in libris sacrorum, molucrum esse aiunt lignum quoddam quadratum, ubi immolatur* — Festi verba, cum hic locus paululum corruptior sit, ita reddidi, ut restitui textum oportere puto —. Illud *in libris sacrorum* non proprium libri titulum esse apparet, praesertim cum duo laudentur auctores; immo vero tantum conici potest illum commentarium quendam sacrorum vel tale quoddam composuisse.

Unum autem mirum mihi videbatur, quod tam saepe Cloatium una cum Stilone laudatum inveniebam; nempe p. 141a 20 v. *Molucrum,* p. 193a 4 v. *Obstitum,* p. 277a 17 v. *Refriva faba,* p. 309a 25 v. *Subucula.* Ad haec duos me locos addere posse existimo: p. 174a 16 *Novalis ager* quid sit secundum Aelium exponitur; textu hoc loco mutilato tantum cognoscitur, praeter Aelium alterum quendam auctorem ad rem demonstrandam citatum fuisse. Cum vero in sequentibus versibus Graeca exstent vocabula, Cloatium, quem libros verborum a Graecis tractorum et libros ordinatorum Graecorum scripsisse antea comperimus, post Aelii Stilonis nomen restituendum esse puto. Altero loco, quo Cloatium una cum Aelio citatum esse conicio, p. 318a 23 v. *Sacrima,* Festi verba adeo lacerata sunt, ut Cloatii nominis . . *atius* modo litterae agnoscantur.

Cum vero res, de qua agitur, ad sacra pertineat et Cloatius saepe una cum Aelio in his rebus nominari soleat, a veritate forsitan non nimis abhorreat, si hic quoque Stilonis nomen suppleamus[1]). Itaque quod Cloatium, ubicunque vocabulum pontificale explicat, una cum Stilone laudari animadvertimus, hanc rem ita expediri puto, ut illum in componendis suis libris Stilonis scriptis usum esse statuamus. Adiuvare hanc sententiam videtur, quod legimus p. 309a 5 Aelium Stilonem et Cloatium *iisdem fere verbis dicere* e. q. s. Utrum alii quoque scriptores, quorum supra mentionem fecimus, Stilonis libros adierint, etsi verisimile est, ex iis, quae habemus, fragmentis diiudicari non potest. Aurelius quidem Opilius et Cincius saepius una cum Stilone afferuntur (p. 68,1 v. *Dalivum:* Aurelius — Aelius; p. 173,21 Opilius Aurelius — Aelius; p. 182,32 Opilius — Aelius; p. 317,22 Opilius — Aelius Stilo; p. 359,26 Aelius — Aurelius; p. 166,2 Cincius — Aelius; p. 170,24 Cincius — Aelius; p. 174,16 Aelius — Cincius; p. 193,4 Aelius — Cincius; p. 277,13 Cincius — Aelius; p. 329,18 Cincius — Aelius); cum vero et Aurelius et Cincius omnibus his locis — exceptis p. 359,26 et 170,24 — opinionem proferant, quae Aelianae contraria sit, quaenam inter eos intercedat ratio diiudicari non posse existimo.

---

[1]) Quod si recte fecimus, fortasse nobis licet alia plura vocabula, quae ad res sacras pertinent, ad Aelium referre; legimus enim:

p. 317b 22: *Sanctum* — Aelius Stilo
p. 317b 31: *Sanqualis* — t. t. augurum
p. 317b 34: *Saccomorum*
p. 318a 4: *Sol*
p. 318a 7: *Sacrem porcum* — t. t. pontificum
p. 318a 23: *Sacrima* — t. t. pontif. sec. Aelium?
p. 318a 29: *Sacrificulus rex* — ad res sacras pertinet
p. 318a 33: *Sacellum* — ad res sacras pertinet.

Ex his tres illae glossae: *Sanqualis, Saccomorum, Sol* a nostro negotio alienae sunt; reliquas, ut ad res sacras pertinentes, in quibus bis Aelius laudari videtur, ad illum retulerim.

Paulo firmiore, ut ita dicam, via ingredimur, si ad Veranium pergimus. Illum Festus novies citat: quattuor locis de vocabulis pontificalibus verba facit, quae cetera affert, ad disciplinam auguralem pertinent. Etiam de hac eum librum confecisse Fest. p. 289a 23 nos docet, ubi legimus: *Veranius in eo qui est auspiciorum de comitiis;* ad hunc referenda sunt, quae p. 253a 2 v. *Paludati* et p. 348a 20 v. *Silentio surgere* leguntur. Liber Veranii, cui notitiam vocabulorum pontificalium debeat Verrius, nusquam a Festo appellatur; ille enim locus, in quo olim titulus libri positus fuerat, p. 198a 2, mutilatus est atque ita mancus, ut id, quod maximi momenti erat, numquam certe restitui possit; nam quod Müller scripsit: *Veranius in libro, ⟨quem inscripsit priscarum vocum⟩* nihil habet, quo defendatur. Apud Macrobium autem titulos invenimus librorum, e quibus, quae Verrius vocabula pontificalia ex Veranio sumpsit, hausta esse possunt: Macrob. Sat. III 5, 6: *Veranius in* pontificalibus quaestionibus; III 6, 14: *Veranius* pontificalium *eo libro, quem fecit de* supplicationibus; III 20, 2: *Veranius* de verbis pontificalibus. Duos his locis libros nominari puto; primo eorum fuit titulus quaestiones pontificales, quarum quem fecit librum de supplicationibus unum volumen effecit; alterum de verbis pontificalibus scripsit. Videamus quae apud Festum invenimus pontificalia vocabula, utri attribuamus. Fest. p. 158b 28 quid sit muries secundum Veranium exponit. Sequitur glossa (v. *Mortuae pecudis*), qua docemur flaminicas mortuae pecudis soleas habere vetari. Tum legimus glossam Ennianam, cui adiunctae sunt quae sine dubio ad res sacras pertinent: p. 161a 10: *Minorum pontificum.* v. 15 *Malluvium.* Tum post glossam auguralem, quae fortasse Veranii illi operi adscribenda est, Antistii Labeonis verba (v. *Mortis causa*) posita sunt. Itaque non dubito tres illas glossas supra dictas ex Veranii quaestionibus pontificalibus sumptas esse affirmare, etsi illius nomen

appositum non est. Similiter p. 250 complures glossae ex Veranii libro haustae esse videntur. Interpretatur enim Festus p. 250b 9 secundum Veranium significationem vocabuli *prodiguae hostiae.* Sequuntur hae glossae: *Petronia amnis* (glossa auguralis, quae fortasse Veranio debetur). *Penetrale sacrificium. Puri, probi, profani, sui auri* . . . sacrorum *causa.* (*Pacionem* . . . .). *Praesentanea porca, ut ait Veranius. Pateram perplovere,* in sacris . . *Pastillum* . . in sacris. Ut praetermittamus illud *Pacionem*, quae glossa alio quodam modo hunc in locum irrepsisse videtur, quominus ceteras, quae omnes ad res sacras pertinent, Veranii illi libro deberi putemus nihil impedit.

Sinnium Capitonem Festus vicies semel laudat nusquam libelli titulo addito. Complures eius nominantur alias libri: Gell. N. A. V 2, 19: epistulae quae ad quaestiones grammaticas pertinent, quarum Gell. l. c. nonnulla exempla praebet; fieri potest, ut quae Fest. p. 138, 18 v. *Monstrum* exhibet, ex tali Capitonis epistula hausta sint. Praeterea liber de syllabis ab eo compositus esse dicitur (Pompeius Gramm. Lat. V p. 109, 34 K.). Lactantius (div. instit. VI 20, 35) Sinnii Capitonis librum de spectaculis nominat, ad quem quae Fest. p. 177b 20 v. *Nuces,* p. 326b 17, p. 364a 10 v. *Tensam,* p. 285a 11 v. *Retiario* dicit, referenda esse viri docti[1]) nos docuerunt. Praeterea cum Festus multis locis (p. 261a, 145a, 282b, 322b, 325b, 334b) Sinnio Capitone laudato de proverbiis verba faciat, proprius liber de proverbiis ei ascribitur. Quod vero Hieronymus in Gen. 3 p. 319 Vall. de antiquitatibus eum scripsisse indicat dicens: *Legamus Varronis de antiquitatibus libros et Sinni Capitonis et Graecum Phlegonta ceterosque eruditissimos viros* vix ad proprium huius nominis librum referendum est.

Rerum sacrarum appellationes tribus tantum locis ab eo discimus: p. 318b 18 v. *Prodigium,* quod fortasse haustum est ex illis epistulis grammaticis; p. 309b 6 v.

---

[1]) cf. Reitzenstein *Verrian. Forschung.* p. 88.

Supplicium, quos eodem rettulerim; p. 364a 10 v. *Tensa,* quam glossam sine dubio ex libro de spectaculis scripto excerpsit Verrius Flaccus.

Utrum Capito ille, quem Lyd. de ostent. 3 (*Καπίτωνός τέ φημι καὶ Φοντηίου*) et de magistr. prooem. (*Καπίτων καὶ Φοντήιος*) laudat, noster sit an alius, id quod Wachsmuth (Lyd. praef. alter. edit. p. XXVI) voluit, diiudicari non posse puto, cum nisi nomina nihil habeamus, quod ansam nobis praebeat. Jörs (*Encyclop. real.* II p. 1907) iurisconsultum Ateium Capitonem dici existimat; sed hoc melius in medio relinquamus.

Sequitur Aurelius Opilius a Festo octies decies nominatus; quae p. 141a 30 v. *Molucrum,* p. 317b 22 v. *Sanctum,* p. 356a 4 v. *Tesca* dicit, ad res sacras pertinent. Titulus operis a Festo non laudatur. Praeterea — ut Varronem omittamus — Gellius N. A. I 25, 17 et III 3, 1 mentionem eius facit. Distinguendis vocabulorum significationibus eum inprimis studuisse librumque eius lexici[1]) modo institutum fuisse apparet ex fragmentis, quae scriptores supra laudati nobis tradiderunt; apta ad haec sunt, quae Suetonius de gramm. c. 6 de eo dicit: *composuit variae eruditionis aliquot volumina.*

Atque ut grammaticorum seriei finem faciamus tractandis iis, quorum satis firmam scientiam acquirere non possumus, a Paulo sive Festo haud paucis locis — XXIII me numerasse puto — Cincius quidam nominatur eiusdemque nonnulli libri laudantur, id quod viris doctis satis magnam interpretandi difficultatem praebuit. L. enim Cincium Alimentum, praetorem a. 211 a. Chr. n., qui ut annalium scriptor saepius laudatur, his locis dictum esse ut putemus fieri non potest. Nam tum cum paene nullae essent litterae, commentarius de verbis priscis scribi non potuit. At tamen laudatur huius Cincii commentarius de verbis priscis a Festo compluriens: p. 214b 31 v.

[1]) Varro de l. l. VII 10 *qui glossas scripserunt*; cf. supra p. 12.

Premere, p. 265a 3 v. *Rodus,* p. 277a 3 v. *Reconduit,* p. 330a 33 v. *Scenam.* Alii quoque huius auctoris tituli nobis occurrunt: p. 241a 21 v. *Patricios Cincius in* libro de comitiis; praeterea p. 241a 8 *Cincius in* libro de consulum potestate; p.173a 9 v. *Nuncupata: Cincius* l. II de officiis iuris consulti; idem titulus invenitur p. 321b 29 et p. 347b 2. Denique legimus p. 363a 30: *Cincius* Mystagogicon l. II, quin etiam Gell. N. A. XVI 4, 1 librum eius de re militari affert. Cincius Alimentus omnes hos libros non scripsit; verisimile est eum ne unum quidem eorum composuisse. Existimare igitur nos opus est Cincium quendam fuisse alterum, qui paulo ante Verri Flacci aetatem vixerit librorumque ante dictorum auctor sit.[1]) De vocabulis autem pontificalibus, quae huic debemus, ita res se habere videtur, ut ea ex libris illis duobus de priscis verbis scriptis hausta esse putemus. Nam cum p. 330a 33 v. *Scenam* apertis verbis dicatur huius vocis interpretationem Cincii illius secundo libro deberi, cumque quae Serv. ampl. Georg. I 10—11 de fano profert, etiam ex Cincio hausta sint, reliqua quoque vocabula pontificalia, quae Cincii nomine addito laudantur, ex hoc libro sumpta esse videntur. Sunt vero Fest. p. 193a 4 v. *Obstitum;* p. 218a 17 v. *Praecidanea porca;* p. 277a 17 v. *Refriva faba;* eodem pertinent quae p. 329a 18 de Saliis virginibus dicit. Ceterum cum Verrius nomen eius titulosque librorum tam saepe nominet, ipsum eius scripta legisse verisimile est.

Haud multo ultra procedere possumus in Titio, quem a Festo bis laudatum invenimus: p. 205a 2 v. *Offendices* et p. 289b 19 v. *Rica.* Utroque loco de vestimentis quibusdam sacerdotalibus verba facit. Ceterum nusquam nisi apud Macrob. Sat. III 2, 11, ubi vitulari

[1]) Quod Leop. Cohn (in novis annalibus philologicis III 1900 p. 323) annalium scriptorem et grammaticum unum atque eundem esse contendit, iis de causis, quas supra exposuimus, fidem ei denegamus; cf. etiam Wissowa in Encycl. real. III p. 2555.

verbi significationem exsecutus est, Titium quendam nominatum repperi. Utrum Tertius ille, quem Macrobius (Sat. III 11, 5) de ritu sacrorum multa disserentem facit, idem sit atque noster Titius necne, equidem diiudicare nequeo. Cum a Verrio tam raro nominetur, hic eius librum non ipse excerpsisse videtur, sed eius sententias apud tertium quendam inventas una cum huius explicatione protulisse. Si suspicioni locus est, fortasse Veranius Titium adiit, nam p. 203a 2 Veranius post Titium laudatur et p. 289b 19, ubi alterius scriptoris nomen casu infelici excidit, cum deinde Titius legatur, Veranius forsitan restituendus sit.

Medium fere inter grammaticos iurisconsultosque locum obtinet Aelius Gallus, cuius libri qui fuerit titulus Fest. p. 218b 20 docemur; legimus enim: *Gallus Aelius in libro primo significationum quae ad ius pertinent.* Eundem titulum Gellius N. A. XVI 5, 3 commemorat. Galli opus qua fuerit forma atque indole etiam nunc apud Festum videre possumus. Erant enim definitiones verborum significationum in eandem fere semper speciem redactae: cf. e. g. p. 162b 9: *Necessarii sunt, ut Gallus Aelius dicit, qui aut cognati aut adfines sunt, in quos necessaria officia conferuntur praeter ceteros.* Ad hanc Aelii Galli definitionum tenorem bene aptae sunt ceterae paucae reliquiae, quas Dig. L 16, 157 et apud Gell. N. A. XVI 5, 3 invenimus. Vocabulorum sacrorum duae nobis explanationes ex Galli libro traditae sunt: Fest. p. 278b 10 v. *Religiosus,* p. 318b 20 v. *Sacer,* quae cum Gallus inprimis scientiae iuris deditus fuisset, ex commentario quodam iuris pontificii excerpta esse videntur. De eius aetate tantum licet suspicari eum paulo ante Verrium Flaccum vixisse, cum is libris eius frequenter usus sit; nam XXII locis Galli nomen afferri docuit Reitzenstein l. c. p. 82.

Antistius Labeo a Festo XVII locis laudatur, quorum X vocabula, quae ad res sacras pertinent, tractantur. E Labeonis scriptis, quae nobis maximi momenti

sunt, Festus citat commentarios de iure pontificio: Fest. p. 164a 4 v. *Nautea: Labeo in commentario iuris pontificii,* p. 253a 7 v. *Prox: Labeo de iure pontificio l. XI*, p. 253a 12 v. *Proculiunt: Antistius Labeo de iure pontificio l. IX*, p. 249b 28 v. *Posimerium: Antistius in commentario iuris pontificalis*, p. 348b 19 v. *Spurcum vinum: Labeo Antistius l. X commentarii iuris pontificalis*, p. 351a 6 et 8 v. *Sistere fana* et *Subigere arietem: Antistius Labeo ait in commentario XV iuris pontificii;* numerus librorum certus dici non potest; utrum qui Fest. p. 351a 6 et 8 laudatur, l. XV, ultimus fuerit necne, in medio relinquere debemus.

Fest. p. 253a 4 v. *Paludati* glossam auguralem ex Veranii libris sumptam sequuntur hae glossae ad res sacras pertinentes: *Purimenstrio, Prox* (Labeo), *Penatis* (Labeo), *Proculiunt* (Labeo), *Popularia sacra* (Labeo), *Pollucere merces*, *Profestum facere, Profanum.* E quibus cum *Prox, Penatis, Proculiunt, Popularia sacra* ex Labeonis libris hausta esse Verrius confiteatur, reliquae quoque illae glossae, quippe quae a rebus sacris non abhorreant, ex eiusdem commentario iuris pontificii sumptae esse videntur. — Similiter p. 347b 34 et p. 348a 1—25 eae glossae, quae res sacras explicant, Labeonis sunt; p. 347b 34 quid sint *struppi* docemur; quae tum sequuntur, ut ex Labeonis scriptis excerpta significantur. Ex his glossa *Septem dies calo* cum ad fastos pertineat, certae originis pontificalis est; deinde quid sit *secespita* secundum Labeonem definitur. Quas tum legimus glossas sine dubio ad res sacras pertinent: *Secivum*, *Suffimenta*, *(Serpsit), Suffibulum* — vocabulum, quod uncis seclusi, quippe quod aliam rem spectet, nescio quo casu inter has voces sacras irrepsit. Tres igitur illas glossas ex Labeonis commentariis haustas esse puto, praesertim cum post auguralem quandam Veranii iterum Labeonis glossae nobis occurrant: p. 348b 7 v. *Scriptum lapidem,* cui adiungenda est illa quae antea legitur: *Summanalia.* Paulo post

rursus glossas invenimus, quas Verrius ut ipse dicit Labeoni debet: v. *Spurcum vinum, Septimontio, Sistere fana, Subigere arietem.*

Labeonis aequalis et adversarius fuit C. Ateius L. f. L. n. Capito,[1] cuius librorum eos tantum nominabimus, quos nosse hic maxime nostra interest. Legimus Fest. p. 154b 30: *Mundus, ut ait Capito Ateius in l. VII pontificali . . . . .;* titulum vero huius operis alium fuisse Gell. N. A. IV 6, 10 nos docet: *verba Atei Capitonis ex quinto librorum, quos* de pontificio iure *composuit.* Apta ad haec sunt, quae Macrob. Sat. VII 13, 11 exhibet: *quae de hac eadem causa apud Ateium Capitonem pontificii iuris inter primos peritum legisse memini.* Idem alio loco (Sat. III 10, 3) alium libri Capitonis titulum affert; dicit enim: *ex libro primo de iure sacrificiorum.*

Festus Atei Capitonis octies mentionem facit; quae p. 238b 11 et 17, p. 285a 31 dicit, ad res sacras pertinent; p. 238b 11 secundum Ateium Capitonem de *porca aurea et argentea* verba fiunt, deinde sequitur glossa: *Pulcher bos appellatur ad eximiam pinguitudinem perductus,* cui adiuncta est: *Propudialis bos dictus est, ut ait Ateius Capito* . . . e. q. s. Vix igitur dubitaverim glossam illam *Pulcher bos* ut ex Capitonis libro sumptam intellegere. Atque cum tria haec lemmata ad sacrificia pertineant, ex libro illo, quem Macrob. Sat. III 10, 3 laudat, de iure sacrificiorum scripto sumpta ea esse puto.

H. Willers[2]) ex toto Festi Paulique volumine hostiarum nominum explicationes congestas Capitonis ad illum librum de iure pontificio refert, id quod minime mihi probatur. Primum enim tantum tria illa hostiarum nomina, quae p. 238b 11—20 leguntur (*Porcam auream et argenteam, Pulcher bos, Propudialis porcus*) et p. 285a 31

---

[1]) C. I. L. I^2 p. 29.

[2]) *De Verrio Flacco glossarum interprete disputatio critica.* Diss. Halens. 1898 p. 10—13.

v. *Rutilae canes* constat ex Capitonis quodam libro hausta esse; deinde ea melius ex illo libro de iure sacrificiorum profluxisse statuendum est. Tum quae p. 250b 9—31 occurrunt, in quibus quid sint *prodiguae hostiae* et *praesentanea porca* explicatur, certe ex Veranii libro, quem Verrius ipse exscripsit, hausta sunt. Ceterum omnes fere explicationes, quantum ex iis, ut sunt mutilatae cognoscitur, talem colorem prae se ferunt, ut eas potius Aelii Stilonis illi libro etymologico (cf. p. 8) attribuerim; cf. e. g. p. 4, 16: ambegni *bos et verbix appellabantur, cum ad eorum utraque latera* agni *in sacrificium ducebantur,* p. 371b 6: Victimam *Aelius Stilo ait esse vitulum ob eius* vigorem, p. 57, 21: Confeta *sus dicebatur, quae cum omni* fetu *adhibebatur ad sacrificium,* p. 141a 26 . . . *Cloatius autem ⟨et Aelius Stilo⟩ in libris sacrorum* molucrum *esse aiunt lignum quoddam quadratum, ubi* immolatur. Ceterum plurimae explicationes, quae incertum est cui debeantur scriptori, apud Paulum modo inveniuntur, id est tantopere mutilatae sunt, ut nunquam satis certe constitui possit, cui quaeque adscribenda sit; tantum constat H. Willers arbitrio suo nimis indulgere, si omnes Capitonis libro de iure pontificio scripto attribuit.

Restat, ut hoc quoque diiudicare conemur, num Ateius Capito librum composuerit de arte augurali. Nam Fest. p. 351a 16-25 (v. *Stellam* et *Sinistrum*) Ateius Capito terminos, ut ita dicam, technicos augurum interpretatur. Eos autem ex proprio Atei libro de vocabulis auguralibus scripto sumptos esse existimemus non oportet; videmus enim p. 249b 28 significationem vocabuli *pomerium* ex Antistii commentario iuris pontificalis definiri, quod quin etiam ad augures pertineat, neminem dubitare puto.

Fest. p. 277a 5 de *rica* et *ricula* vestimento sacerdotali verba facit Granii cuiusdam auctoritate usus. Hic nusquam alias apud Festum occurrit. Dig. L 16, 144 legimus Granium Flaccum Caesaris aequalem commen-

tarium iuris Papiriani composuisse. Praeterea Censorinus de die nat. 3, 2 dicit: *in* libro *quem ad Caesarem* de indigitamentis *scriptum reliquit* (sc. Granius); et ad hunc librum fortasse referenda sunt, quae Granius apud Arnobium (adv. nat. III 38) de dis novensidibus dicit. Ceterum cum alias de eo nihil legatur, hoc tantum dixerim, interpretationem vocabulorum *ricae* et *riculae* aptius ad commentarium quendam iuris sacri referri, quam ad librum de indigitamentis scriptum. Verrius autem utrum ipse Granium legerit an illius explicationem in alio commentario laudatam exscripserit, in medio relinquere debemus.

Festo adiungere velim Gellium cum aetatis ratione commotus tum eo, quod ille eos libros, e quibus notitiam vocabulorum pontificalium hausit, maximam partem ipse legit et exscripsit, id quod qui deinceps sequuntur auctores minime fecerunt.

De Gellio iisque quorum compilavit scrinia scriptoribus iam a tot tantisque viris doctis dissertum est, ut verear, ne acta agam hac re iterum in questionem vocata. Tamen quantum huic commentationi non inutile puto, pauca sunt repetenda. Cum Gellius ad singula capita addere soleat quibus quae profert scriptoribus debeantur, iis qui Noctibus Atticis operam dederunt id inprimis spectandum erat, ut quid ipse ex scriptoribus excerpserit Gellius, quid per alios compererit, diiudicarent. Quam quaestionem vv. dd. Mercklin,[1] Kretzschmer,[2] Ruske,[3] ut alios omittam, magna cum diligentia tractaverunt. Qui Gellii transcribendorum auctorum ratione observata eos eum scriptores ipsum excerpsisse statuunt, quibus in legendis assiduus fuit (cf. XIII 13, 4. XII 5, 1),

[1]) *Die Citiermethode u. Quellenbenutzung des A. Gellius* Fleckeis. annal. suppl. III p. 635 sqq. et *A. Gellii noctium Atticarum capita quaedam ad fontes revocata.* Dorp. 1861.

[2]) *De A. Gellii fontibus.* Diss. Gryphisw. 1860.

[3]) *De A. Gellii noctium Atticarum fontibus quaest. selectae.* Diss. Vratislav. 1883.

quosque familiares ei exstitisse aliis indiciis constat; deinde quorum inscriptiones in praef. affert ipse, denique eorum, quos ipsos sententias praeponentes facit. Singula vero capita quoad liceat ad unum auctorem revocanda esse probavit Kretzschmer l. c. § 3: 1. ubi plures auctores indicare videtur Gellius certis quibusdam formulis usus dicendi, veluti *nonnulli, alii, quidam,* 2. ubi citatur ad singula tantum confirmanda auctor certus.

Sed ne diutius in hac re moremur, iam capitibus iis, in quibus Gellius rerum vocabulorumque, quae ad sacra pertinent, mentionem facit enumeratis investigare volumus, e quibus ea fontibus hauserit. Atque l. I c. 12 de virginibus Vestalibus capiendis verba facit, IV 6 quid sint hostiae succidaneae et praecidaneae explicat, IV 9 quid significet vox religiosum docet, X 15 quibus flamen Dialis flaminicaque caerimoniis constricti fuerint, XVI 6 de bidentibus sententias profert.

Apud Gellium, si principem auctoritatis locum Varroni tribuimus, secundum certe obtinet Nigidius Figulus.[1]) Cuius commentarios grammaticos ille se non incuriose legisse confitetur XII 14, 1, et sunt multi loci, quibus hunc librum aut citat aut certe secutus est. IV 9, 1 antiqui carminis versu, cui corrupto restituendo magnam operam dederunt viri docti,[2]) praemisso in § 2 Nigidii verba ponuntur, quibus explicat quid significent adiectiva illa per *osus* terminantia, secundum quam regulam *religiosus* vocis significatio definitur. §§ 6—7 M. Tullium Ciceronem hoc vocabulo, pro quo vulgus prave *nefastus* dicere soleat, recte usum esse demonstratur et in § 7 quomodo Masurius Sabinus in commentariis de indigenis scriptis huius vocabuli significationem exposuerit, narratur. — Totum hoc caput utrum uni Nigidio, an compluribus scriptoribus attribuamus dubius haereo.

[1]) cf. A. Swoboda *P. Nigidii operum reliquiae.* Vindob. 1889.
[2]) cf. M. Hertz *opusc. Gell.* p. 43—48.

Nam et Nigidius Figulus ut supra diximus perfrequenter a Gellio laudatur et Masurii Sabini scripta quin ipse legerit dubitari non potest. Masurii autem partem defendere videtur, quod Dirksen[1]) eius vestigia IV 1 et 2 §§ 13—15 nobis ostendit. Altera vero ex parte Macrobius difficultates auxit, qui Sat. III 3, 8 eandem fere huius vocis interpretationem ad Servium Sulpicium rettulit. Cum vero praeter hanc definitionem illo loco nihil exstet, quod Macrobio Gellioque commune sit, Macrobium haec e Gellio sumpsisse verisimile non est. Servium autem Sulpicium et postea illius nescium Masurium eadem de hac voce protulisse fide caret. Itaque hanc rem in dubio relinquendam esse puto.

Gellius N. A. XVI 6, ubi de *bidentibus hostiis* verba facit, Nigidii librum laudat, quem de extis composuit. Ad eum referenda est illa explicatio qua dicitur: *bidentes appellari ait non oves solas, sed omnes bimas hostias.* Utrum vero hoc Gellius ipse ex Nigidii libro exscripserit, an per Hyginum, cuius librorum quos de Vergilio fecit quartus citatur, compererit, cum alia testimonia non exstent, hanc quaestionem solvi non posse confiteor. — Ceterum Macrobium Sat. VI 9, 1—7 integras has Gellii paragraphos, a 5 inde ad 15 verbotenus transscripsisse constat. — Huius capitis § 13 *commentarius quidam ad ius pontificum pertinens* a Gellio nominatur, quem Kretzschmer ad Ateium Capitonem refert. Sed nihil habet, quo hanc sententiam defendat. Totum enim caput unde originem duxerit cum incertum sit, etiam hos commentarios certo scriptori ascribi non possunt.

N. A. IV 6 senatusconsulto quodam de dis placandis relato quid sint *hostiae succidaneae et praecidaneae* disputatur. Quae explicationes cum haud procul distent ab iis, quae Paul. p. 223, 19 v. *Praecidanea agna* et Fest.

[1]) *Auszüge aus d. Schriften d. röm. Rechtsgelehrten in den Noctes Atticae des A. Gellius* p. 17 et 25.

p. 302a 23 v. *Succidanea hostia* exhibent, a viris doctis Verrio Flacco attributae sunt. Sed Kretzschmer (l. c. p. 67) recte monuisse mihi videtur hoc loco potius communem Verrii Gelliique fontem indicari, praesertim cum in extrema huius capitis paragrapho verba Capitonis ex quinto libro iuris pontificii sumpta addantur. Itaque totum hoc caput Capitonis illi libro ascripsit, id quod recte factum esse mihi videtur, in quantum quidem uni auctori hoc caput tribuendum esse dixit; explicationes vero nominum hostiarum melius eiusdem Capitonis ex libro de iure sacrificiorum sumptas esse crediderim; cf. p. 22 sq.

L. X 15 Gellius *in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sint, item in* Fabii Pictoris *librorum primo* legisse se dicit, quibus caerimoniis castibusque multiplicibus flamen Dialis et flaminica constricti fuerint, eorumque nonnulla exempla affert, ut ipse dicit *quae commeminimus.* Apparere iam inde puto Gellium haec per tertium quendam auctorem cognovisse; sed per quem, non ita facile diiudicatur. R. Peter[1]) totum caput e Masurii Sabini, quem in § 18 nominat, nescio quo libro eum sumpsisse dicit. Praeterea negari non potest ea quae Festus[2]) de his rebus affert, partim verbotenus concinere cum iis, quae secundum Fabium exponit Gellius; hic autem cum plura afferat, Verrio Flacco usus esse non potest; statuendum igitur est utrumque sc. Verrium Gelliique auctorem ex eodem fonte hausisse, nempe e Fabii libris. Fabium autem sua commentario cuidam sacrorum debere R. Peter (l. c. p. 7—8) ostendit.

Fabius ille Pictor bis a Gellio laudatur; et hic et I 12, 14. Neutro loco *libri* eius *primi* titulus nominatur, quem fortasse ex Macrob. Sat. III 2, 11 supplere licet *iuris pontificii.* Idem legimus apud Non. p. 518, 27 M. *Fabius Pictor rerum l. I . . . . idem iuris pontificii l. III.*

---

1) *Quaestionum pontificalium specimen.* Dissert. Argent. 1886 p. 15.

2) p. 81, 17 v. *Equo;* p. 249b 22 v. *Procincta classis;* p. 104, 11 v. *Iurare;* p. 106, 4 v. *Ignem.*

Cum vv. dd. Nipperdey[1]) et Hertz[2]) hos libros ad annalium illum scriptorem rettulerint, Krause[3]) hoc loco de Servio Fabio Pictore cogitandum esse statuit, quem Cicero (Brut. 21, 81) et iuris et litterarum et antiquitatis bene peritum esse dicit. Niebuhr[4]) autem, cum Cicero l. c. libri cuiusdam illius Servii mentionem non faciat, Q. Fabium Maximum Servilianum dictum esse censuit, quem Macrob. Sat. I 16, 25 pontificalia scripta composuisse testatur. Sed utut id est, certe quidem Gellius haec per alium quendam comperit, cuius satis firmam scientiam non iam acquirere possumus.

Non multo aliter res se habet N. A. X 12, ubi Gellius disserit, quid aetatis virgo Vestae et ex quali familia, quo ritu, quibus caerimoniis et religionibus capiatur. Eorum, qui de virgine capienda scripserunt, diligentissime scripsisse dicit Labeonem Antistium, cuius commentario iuris pontificalis sine dubio haud parvae huius capitis partes attribuendae sunt. § 8 etiam Atei Capitonis mentio fit, deinde legis Papiae cuiusdam de numero legendarum virginum latae; postea Fabii Pictoris locus affertur, quem fragmentum libri secundi rerum gestarum a L. Sulla scriptarum excipit, cum novissimo loco verba ponantur, quae ex Labeonis commentariis sumpta sunt, quos ad XII tabulas composuit. Omnibus his scriptoribus qui hoc loco laudantur Labeonem usum esse cum nihil impediat quominus putemus, recte totum hoc caput Labeoni attribuimus, quem aliis quoque locis Gellium exscripsisse constat.

Restat ut de Servio et Macrobio pauca addamus; qui unde hauserint scientiam pontificiorum verborum scrutanti, cum eorundem verborum interpretationes modo

---

1) *Opuscula* Berol. 1877 p. 399.
2) Fleckeis. annal. 1862 p. 47.
3) *Vita et fragm. hist. vet.* Berol. 1833 p. 46.
4) *Röm. Gesch.* II p. 631.

apud Macrobium et Servium, modo apud Festum redire vidissem, haud inutile mihi visum est eorum testimonia in unum conspectum congesta comparare. Ac liceat mihi hoc loco non modo vocabula pontificalia afferre, sed etiam alia nonnulla et ipsa non ita multum a rebus sacris abhorrentia, quibus comparatis quaenam ratio intercedat inter eos scriptores optime demonstrari posse confido:

Macrobius.	Servius.	Serv. amplior.	Fest. s. Paulus.
Sat. I 4, 15: Masurius secundo Fastorum Liberalium dies, inquit, a pontificibus agonium Martiale appellatur.	—	—	p. 10, 5: Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat. Hostiam enim antiqui agoniam vocabant . . . e. q. s. cf. p. 18, 8.
Sat. I 15, 10: itaque sacrificio celebrato idem pontifex calata, id est vocata, in Capitolium plebe, quot numero dies a Kalendis ad Nonas superessent pronuntiabat, et quintanas quidem dicto quinquies verbo καλῶ praedicabat.	—	—	Paulus verbum *calare* omisit; Festum vero sive Verrium Flaccum similiter ac Macrobium hoc interpretatum esse inde nobis perspicere licet, quod Paul. p. 38, 12 dicit: Calatores dicebantur servi ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare, quia semper vocari possent ob necessitatem servitutis. cf. 225, 8.
Sat. III 2, 2: ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum verbum hoc sollemne sacrificantibus est, sicut Veranius ex primo libro Pictoris	Servius ad Aen. V 228 lectionem *proiciam* tuetur tantum addens: nisi forte dicamus etiam fluctibus offerri, quod si est, *porriciam* legendum.	—	Fest. p. 218a v. Porriciam hanc vocem aliter quidem explicat atque Macrobius, sed addit se aberrare a Verrio Flacco, quem idem fere dixisse

Macrobius.	Servius.	Serv. amplior.	Fest. s. Paulus.
ita dissertationem huius verbi executus est: exta porriciunto, dis danto in altaria aramve focumve eove quo exta dari debebunt. porricere ergo non proicere proprium sacrificii verbum est			atque id quod apud Macrobium videmus, iam inde licet suspicari, quod suam interpretationem ad eundem Vergilii versum adnotavit; est enim lemma glossae ***porriciam.***
Sat. III 2, 6: haec vox propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat, damnatus autem, qui promissa vota iam solvit.	Aen. V 237 voti reus: debitor, unde vota solventes dicimus absolutos. Inde est: damnabis tu quoque votis, quasi reus.	—	Quae Fest. p. 273, 13 de vocabulo reus disserit, non ad sacra sed ad ius pertinent.
Sat. III 2, 8: Varro divinarum libro quinto dicit aras primum asas dictas quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri, ansis autem teneri solere vasa quis dubitat? Commutatione ergo litterarum aras dici coeptas, ut Valesios et Fusios dictos prius nunc Valerios et Furios dici.	Aen. II 515: altaria: superorum et arae sunt et altaria, inferorum tantum arae . ara autem dicitur a precibus, quas Graeci ἀρὰς dicunt; unde contra imprecatio κατάρα dicitur. cf. ad Ecl. V 66.	Aen. II 219 . . arasque tenentem: veteres aras asas dicebant; postea immutata littera s in r aras dixerunt, sicut Valesios Valerios, Fusios Furios. quod Varro rerum divinarum in libro quinto plenius narrat: necesse enim erat aras a sacrificantibus teneri, quod nisi fieret, diis sacrificatio grata non esset.	—

Macrobius.	Servius.	Serv. amplior.	Fest. s. Paulus.
Sat. III 2, 11: nam primo pontificii iuris libro apud Pictorem verbum hoc positum est vitulari, de cuius verbi significatu Titius ita retulit: vitulari est voce laetari. Varro etiam in libro quinto decimo rerum divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Graeci παιανίζειν vocant.	—	—	p. 369, 14: vitulans laetans gaudio, ut pastu vitulus. Ennius: is habet coronam vitulans victoria.
Sat. III 3, 2: Sacrum est, ut Trebatius libro primo de religionibus refert, quicquid est, quod deorum habetur.	Servius hanc vocem saepius interpretatur, nunquam autem iis verbis usus, quae Macrobii similia sint.	Aen. III 73: sane sacrum dicitur, quod rite sacratur deo, ut aedes, arae, simulacra, dona. Aen. IV 638: Sacrum est, quod ad deos pertinet.... Ecl. VII 31: sane in libris sacrorum refertur sacrum dici quod rite sacratur, ut aedes arae simulacra dona. Georg II 476: Sacrum dici volunt quod sit cum timore religiosum, sanctum quod cum amore.	Festus p. 321a 1—17 ita ut Macrobius sacrum esse dicit, quod alicui deo dedicatum atque obsecratum sit; deinde Aelium Gallum secutus addit non a privatis sed instituto publico consecrari debere.
Sat. III 3, 3—4: profanum omnes paene consentiunt id	Serv. Aen. VI 228 nihil ad hanc vocem interpretandam ad-	Aen. XII 779: profanum proprie dicitur, quod ex re-	p. 228, 15: Profanum quod non est sacrum. Plau-

Macrobius.	Servius.	Serv. amplior.	Fest. s. Paulus.
esse quod extra fanaticam causam sit quasi porro a fano et a religione secretum; eo accedit, quod Trebatius profanum id proprie dici ait, quod ex religioso vel sacro in hominum usum proprietatemque conversum est.	dit nisi *qui non estis initiati*.	ligiosa re in hominum usum convertitur .... e. q. s.	tus: profanum an sacrum habeas parvipenditur. Fest. p. 229, 7 interpretatio corrupta est, p. 253a 26: Profanum est, quod fani religione non tenetur.
Sat. III 3, 5: Sanctum est, ut idem Trebatius libro decimo religionum refert, interdum idem quod sacrum idemque quod religiosum, interdum aliud, hoc est nec sacrum nec religiosum est.	Servius de voce sanctum non modo nihil dicit, sed etiam tantum differt a Macrobio, ut ubi ille *sanctos* legit, ipse ad Aen. II 686 *sacros restinguere ignes* legendum esse censeat.	Aen. II 686: sane sanctum est interdum non idem quod sacrum neque idem quod religiosum; interdum non aliud quam sacrum.	Fest. p. 317, 6 additis auctoribus huius definitionis Aurelio Opilio et Aelio Gallo eadem fere verba atque Macrobius et Serv. ampl. exhibet.
Sat. III 3, 8: Servius Sulpicius religionem esse dictam tradidit, quae propter sanctitatem aliquam remota ac seposita a nobis sit, quasi a relinquendo dicta, ut a carendo caerimonia.—§ 10: secundum Pompeium Festum religiosi sunt, qui facienda et vitanda discernunt.	Servius de interpretanda voce religiosus nihil habet; religionis vero significationem prorsus aliter atque Macrobius explicat, cum dicit ad Aen. VIII 349: religio est dicta, quod mentem religit.	Aen. II 365: Sane et homo dicitur attentus ad religionem, et locus qui divinum cultum et venerationem meretur. Georg. I 269: religiosi enim dicuntur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis	p. 289, 15: religiosi dicuntur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis dilectum habent, nec se superstitionibus implicant. cf. p. 278, 10.

Macrobius.	Servius.	Serv. amplior.	Fest. s. Paulus.
		dilectum habent nec se superstitionibus implicant.	
Sat. III 4, 1—2: ergo delubrum quid pontifices proprie vocent et qualiter hoc nomine Vergilius usus sit, requiramus. Varro octavo rerum divinarum delubrum ait alios aestimare in quo praeter aedem sit area adsumpta deorum causa, ut est in Circo Flaminio Iovis Statoris, alios in quo loco dei simulacrum dedicatum sit et adiecit, sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatum, ita, in quo deum ponerent, nominatum delubrum.	Aen. II 225: delubrum dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina quia uno tecto diluitur, ut est Capitolium, in quo est Minerva Iuppiter, Iuno. alii dicunt delubrum esse locum ante templum, ubi aqua currit, a diluendo. Aen. IV 56: delubrum dictum, ut supra diximus, propter lacum, in quo manus abluuntur, vel propter tectum coniunctum, aut certe simulacrum ligneum delubrum dicimus, a libro, hoc est raso ligno factum, quod Graece ξόανον dicitur.	Aen. II 225: Varro autem rerum divinarum l. XIX (numerus corruptus est) delubrum esse dicit, aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi praeter aedem area sit adsumpta deum causa, ut in Circo Flaminio Iovi Statori, aut in quo loco dei dedicatum sit simulacrum, ut sicut in quo figunt candelam, candelabrum appellant, sic in quo deum ponunt, delubrum dicant. — Masurius Sabinus delubrum effigies a delibratione corticis, nam antiqui felicium arborum ramos cortice detracto in effigies deorum formabant, unde Graeci ξόανον dicunt, alii delubrum dicunt templum ab eo quod nulli iunc-	p. 73, 1: Delubrum dicebant fustem delibratum, hoc est decorticatum, quem venerabantur pro deo.

Macrobius.	Servius.	Serv. amplior.	Fest. s. Paulus.
		tum aedificio pluvia diluatur.	
Sat. III 5, 5: In his ipsis hostiis ..... quaedam sunt, quae iniuges vocantur, id est, quae nunquam domitae aut iugo subditae sunt.	—	—	p. 113, 19: Iniuges boves, qui sub iugo non fuerint.
Sat. III 5, 6: eximii quoque in sacrificiis vocabulum, non poeticum ἐπίθετον sed sacerdotale nomen est. Veranius enim in pontificalibus quaestionibus docet eximias dictas hostias, quae ad sacrificium destinatae eximantur a grege, vel quod eximia specie quasi offerendae numinibus eligantur.	—	—	p. 82, 3: Eximium inde dici coeptum, quod in sacrificiis optimum pecus e grege eximetur, vel quod primum erat natum.
Sat. III 5, 7: Ambarvalis hostia est, ut ait Pompeius Festus, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab his, qui pro frugibus faciunt.	Ecl. III 77 .... dicitur autem hoc sacrificium ambarvale, quod arva ambiat victima; hinc ipse in georg. terque novos circum felix eat hostia fruges. sicut amburbiale vel amburbium dicitur sacrificium, quod urbem circuit et ambit victima.	—	p. 5, 1: ambarvales hostiae dicebantur, quae pro arvis a duobus fratribus sacrificabantur; cf. p. 17, 8.

Macrobius.	Servius.	Serv. amplior.	Fest. s. Paulus.
Sat. III 8, 6—8: nam Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo ait dixisse Callimachum Tuscos Camillum appellare Mercurium, quo vocabulo significant praeministrum deorum, unde Vergilium ait Metabum Camillam appellasse filiam, Dianae scilicet praeministram. Nam et Pacuvius cum de Medea loqueretur: Caelitum camilla exspectata advenis, salve hospita. Romani quoque pueros et puellas nobiles et investes camillos et camillas appellant flaminicarum et flaminum praeministros.	Aen. XI 558: nam Camilla quasi ministra dicta est; ministros enim et ministras impuberes camillos et camillas in sacris vocabant, unde et Mercurius Etrusca lingua Camillus dicitur, quasi minister deorum.	Aen. XI 543: Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo ait dixisse Callimachum apud Tuscos Camillum appellari Mercurium quo vocabulo significant deorum praeministrum, unde Vergilius bene ait Metabum Camillam appellasse filiam, scilicet Dianae ministram. Nam et Pacuvius in Medea cum de Medea loqueretur: Caelitum camilla, exspectata advenis, salve hospita. Romani quoque pueros et puellas nobiles et investes camillos et camillas appellabant flaminicarum et flaminum praeministros.	Etsi Paulus interpretationem huius vocis in epitomam suam non recepit, tamen e compluribus locis (p. 43 v. Camillas, p. 63 v. Cumeram, p. 93 v. Flaminius camillus) concludere possumus Festum vel Verrium Flaccum nihil aliud de hac voce dixisse atque Macrobium.
Sat. VI 9, 1 sqq. de bidentibus haec disserit § 5: Publius autem Nigidius in libro quem de extis composuit, bidentes appel-	Aen. IV 57: lectas bidentes: non vacat lectas; moris enim fuerat, ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset,	—	p. 33, 10: bidentes autem sunt oves duos dentes longiores ceteris habentes.

Macrobius.

lari ait non oves solas, sed omnes hostias bimas; neque tamen dixit, cur ita appellentur sed in commentariis ad ius pontificium pertinentibus legi bidennes primo dictas a littera ex superfluo, ut saepe adsolet, interiecta. Sic pro reire redire dicitur et pro reamare redamare et redarguere, non rearguere. ad hiatum enim duarum vocalium procurandum interponi solet a littera. ergo bidennes primum dictae sunt quasi biennes, et longo usu loquendi corrupta est vox ex bidennibus in bidentes. Hyginus tamen qui ius pontificium non ignoravit, in libro quinto, quos de Vergilio fecit bidentes appellari scripsit hostias, quae per aetatem duos dentes altiores haberent, per quos ex minore in maiorem transcendisse constaret aetatem.

Servius.

ut in sexto: nunc grege de intacto septem mactare iuvencos. bidentes autem dictae sunt quasi biennes, quia neque minores, neque maiores licebat hostias dare. Sunt etiam in ovibus duo eminentiores dentes inter octo, qui non nisi circum bimatum apparent; nec in omnibus, sed in his quae aptae sacris inveniuntur. cf. ad Aen. VI 39: Bidentes autem ut diximus oves sunt circa bimatum habentes duos dentes eminentiores, quae erant aptae sacrificiis. cf. ad Aen. XII 170.

Serv. amplior.

Fest. s. Paulus.

Collatis igitur Macrobii interpretationibus cum iis, quas apud Servios Festumque sive Paulum invenimus, de ratione quae inter eos intercedat eorumque fontibus certiora statuere nobis liceat. Ac primum quidem tantum constat, ea quae de vocabulis pontificalibus Macrobius affert paucis exceptis in primis tertii libri capitibus inveniri. In his autem partibus apparet, illum cum Servio (sc. breviore) rarissime concinere, Festum vero utpote a Macrobii auctore descriptum cum Macrobio mirum quantum concinere. Quae cum ita sint, primo obtutu de indole eorum librorum ex quibus Macrobius doctrinam hausit, pauca concludi possunt. Erat enim commentarius quidam Vergilianus, qui cum Festo artissimo vinculo coniunctus in Servii manibus non fuisse videtur. Atque accuratius haec capita inspicientes etiam plura de Macrobii fontibus indagabimus. Nonnullis abhinc annis v. d. H. Linke[1]) cognovit totum hunc librum Macrobii — exceptis capitibus 9. 13—18 — ex duobus commentariis Vergilianis exscriptum esse. Sed cum neutrum eorum commentarium perpetuum fuisse falso opinaretur, horum fontium fines non recte distinxit. Quare Georgio Wissowa[2]) non assentiri nequeo, qui nonnullis huius libri locis sermonem commentarii perpetui manifestissime cognosci ostendit. Itaque de huius libri fontibus haec statuere possumus: primum Macrobius commentarium quendam Vergilii compilavit, quo in lexici modum vocabula pontificalia ex sententiis doctorum hominum explicabantur Vergiliumque ea recte adhibuisse enumeratis omnibus versibus, in quibus hae voces legebantur, demonstrabatur. Ex hoc fonte manaverunt: III 2, 1—13, 17. 3, 1—10. 4, 1—5. 5, 1—7. 7, 3—8. 8, 5—14. Eum autem, qui hunc libellum composuit recentiorem fuisse quam Festum inde licet per-

[1]) *Quaestiones de Macrobii Saturnaliorum fontibus.* Diss. Vratislav. 1880 p. 29 sqq.

[2]) Herm. XXII 36, 1.

spicere, quod hunc ter laudatum invenimus; praeterea quin auctor Macrobii Festi epitoma saepius usus sit, dubitari non potest. Servii autem brevioris, qui vocatur, in manibus hic libellus non fuit. Alter autem liber, quem Macrobius expilavit, commentarius quidam fuit Vergilianus perpetuus, i. e. in quo ad singulos versus adscribebantur, quae memoria digna erant. Quaenam ad hunc pertineant, inde perspicitur, quod in eo laudantur, qui Vergilii carmina interpretati sunt, sicut Aemilius Asper, Velius Longus, Haterianus; praeterea ea, quae apud Macrobium vicina legimus, ad vicinos versus Vergilianos annexa sunt: Macrob. Sat. III 6, 2—6 ad Aen. III 89; 6—9 ad Aen. III 84. Servius hoc commentario usus esse videtur. De huiusce libelli aetate ex temporibus virorum doctorum, qui in eo laudantur, nonnulla nobis licet concludere; laudantur vero cum alii tum Haterianus et Cornelius Labeo; hunc autem viri docti [1] cum tertii saeculi parti posteriori assignent, illis temporibus Macrobii auctorem scripsisse verisimile est.

Servium autem breviorem cum Macrobio in verbis pontificiis explicandis rarissime congruere iam supra dictum est. Saepe enim aut nihil affert de talibus vocibus, aut plane aliam amplectitur interpretationem, aut si consentiunt inter se scriptores, certe concentus non talis est, ut alterum ex altero hausisse putare cogamur. Id quod etiam ex hac deliberatione colligitur: etiamsi Macrobius nulla fere verecundia variorum auctorum scrinia compilavit, tamen eum hominis aequalis librum, qui in omnium manibus erat, excerpere dubitasse crediderim. Denique si quando in aliqua voce interpretanda convenit inter eos, sicut ubi de bidentibus agitur (Serv. Aen. VI 39 et Macrob. Sat. VI 9, 5—7; cf. p. 35), hic consensus nos non eo adducit ut alterum ab altero

---

[1]) Reifferscheid *Ind. schol. Vratisl. 1879/80* p. 9. Wissowa in Encycl. reali IV 1351 sqq.

pendere putemus. Facile enim fieri poterat, ut iisdem studiis dediti interdum inciderent in eosdem doctorum virorum libros.

Longe aliter res se habet in Servio ampliore qui vocatur; saepissime eum verbotenus cum Macrobio concinere primo obtutu apparet. Sed priusquam ad hanc rem explicandam advertamus animum, paulo longius repetentes nos opus est quarere, quaenam intercedat ratio inter Servium·breviorem et ampliorem. Ac primum quidem quod J. Scaliger et O. Ribbeck dixerunt et Servium breviorem et commentarium ampliorem excerptos esse ex vero Servio, cuius genuinus commentarius perierit, non recte se habet. Nam primum Servius amplior in codicibus nusquam Servii nomen prae se fert, deinde ordo Servii amplioris in libris manuscriptis diversus est ab eo, quem Servii brevioris codices habent, tum quicunque Servium breviorem composuit in interpretando Vergilio multo aliud consilium habuit atque auctor Servii amplioris. Kirchner[1]) Servium componendo commentario hoc studuisse sibi fingit, *ut omnis eruditionis encyclopaediam quandam pararet atque veterum auctorum imagines resuscitaret.* Cui haec obicio: qui ut encyclopaediam componat animum inducit, de consilio suo eos qui librum legunt certiores facit; apud Servium nusquam tale quid invenitur. Deinde cum Festi libri e Verrianis tam multis nec minorem doctrinam continentibus excerpti iis, qui tum erant, satisfacerent, cum, ut grammaticorum opera nobis ostendunt, vera doctrina semper minueretur, encyclopaediae desiderio vix tempus fuisse puto. Praeterea encyclopaediae certe melior reperiri potest forma quam commentarius Vergilii carminum, quae quantaelibet fuerint auctoritatis tamen eum ordinem rationemque, quam encyclopaedia postulat, praebere non possunt. Rectissime igitur nunc plerique in eo con-

[1]) *De Servii auctoribus grammaticis, quos ipse laudavit.* Fleckeis. annal. Suppl. VIII p. 498.

sentire videntur, quod Servium breviorem verum commentarium Servianum esse censent, qui inprimis in usum scholarum compositus sit.

Difficillime autem diiudicatur quomodo res se habeat de Servio ampliore. G. Thilo[1]) qui abhinc haud multis annis ante Servii commentariis maxima cum diligentia editis magnopere meritus est, ab uno homine vel certe unius hominis consilio scholia Servii amplioris confecta esse demonstrare se posse putat. Concentum vero quem inter Macrobium et Deutero-Servium manifestum intercedere videmus, ita explicari existimat, ut utrumque ex eodem libro sua excerpsisse contendat. Id quod Thiloni non concedo. Cum enim sint nonnulli loci, qui ex fontis communione difficillime expediri possint, auctorem Servii amplioris Macrobio ad amplificandos Servii brevioris commentarios usum esse puto. Saepe enim ubi discrepat Servius brevior a Macrobio, auctor Servii amplioris eam sententiam quam apud Macrobium videmus addit, aut etiam, si non discrepabant, Servius amplior e Macrobii argumentis aut exemplis nonnulla Servianis agglutinat. Cuius rei afferam nonnulla exempla: Serv. brevior ad Aen. II 632 *ac ducente deo: secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. nam ait Calvus: pollentemque deum Venerem. Item Vergilius: nec dextrae erranti deus afuit, cum aut Iuno fuerit aut Alecto. est enim in Cypro simulacrum barbatae Veneris* . . . . addit Serv. ampl.: *corpore et veste muliebri cum sceptro et natura virili, quod Ἀφρόδιτον vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant;* verba autem a *corpore* usque ad finem verbotenus leguntur apud Macrob. Sat. III 8, 13. *Trahit hoc,* inquit Serv. brevior ad Aen. IV 694, *de Alcesti Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam secantem, quia fato peribat mariti* . . . . addit Serv. ampl.: *alii dicunt Euripidem Orcum in scae-*

---

[1]) praef. editionis vol. I p. 66 sqq.

nam inducere gladium ferentem, quo crinem Alcesti abscindat. Euripidem hoc a Poenia antiquo tragico mutuatum. Collatis Macrob. Sat. V 19, 1—5 eadem verba invenies. Praeterea Thilo ipse[1]) probabilibus argumentis asseruit Servium ampliorem Gellium non legisse: quid vero si quae Macrobius Sat. VI 7, 7—8 et 17 sqq. verbotenus exscripsit e Gell. N. A. II 6, 5 et 20—25, verbotenus redire videmus apud Serv. ampl. ad Ecl. VI 70 et ad Aen. X 314? Unde apparere puto Servium ampliorem sua Macrobio debere. Denique quae Macrobius de Vergilio disputat in diversas partes ex diversis fontibus excerptas disponentes concentum illum inter Macrobium et Servium ampliorem per omnes illas partes invenimus. Atque certe mirum esset, si Servius amplior omnes illos fontes quos Macrobius et ipse exscripsisset.

Quibus argumentis praemissis facile ostendi posse puto quomodo factum sit, ut Servii amplioris textus tam saepe cum Macrobio consentiat. Originem enim scholiorum illorum (sicut ipse Thilo l. c. p. 53 sqq. antea fecerat) mihi ita fingo: ad marginem scholiorum Servianorum (sc. brevioris) exempli aliquis ex lectione sua adnotavit, quae memoria digna videbantur; tum alius quidam nova argumenta, exempla, interpretationes addidit, ut paulatim succrescerent, quos nos sub Servii amplioris nomine habemus, commentarii. Eos denique ab uno in hanc quam legimus formam redactos esse verisimile est; tantum Thiloni de *uno homine* concedendum esse puto. Exemplum luculentissimum nobis praebet Serv. ad Aen. II 225, ubi quattuor quasi straturis Servii commentarium compositum esse videmus.[2]) Servii igitur brevioris librum

---

[1]) *Quaest. Servianae* Halis Sax. 1867 p. 14 sq.

[2]) Serv. Aen. II 225. *Delubra: delubrum dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina, quia uno tecto diluitur, ut est Capitolium, in quo est Minerva, Iuppiter, Iuno. alii dicunt delubrum esse locum ante templum ubi*

paulatim auctum esse diximus; in eorum autem scriptorum numero, qui ad hanc rem optimam praebebant materiem, quin Macrobius primus fere fuerit dubitari non potest. Illius enim libri permultos continebant studiorum fructus atque eos ex iis auctoribus sumptos, quibus Servius brevior in componendis suis commentariis aut nunquam aut rarissime usus est. Quae cum ita sint, mirari non debemus, quod verba quae modo in Macrobio legimus, redire videmus in commentariis Servianis, cum a viris doctis temporibus plane diversis ad Servii verba assuta sint. Quod R. Halfpap-Klotz[1]) consensum, quem inter Servium ampliorem Macrobiumque intercedere videmus, non ita explicat, ut partem scholiorum ex Macrobio haustam esse putet, sed et Macrobium et Servium ampliorem eosdem fontes exscripsisse contendit, hoc certe nonnullis locis recte se habet, in iis scholiis autem, quae ad verbum

---

aqua currit, a diluendo. est autem synecdoche, hoc est a parte totum. — Tantum Servius; ad haec alius quidam ascripsit: *Varro autem rerum divinarum libro XIX* (numerus corruptus est) *delubrum esse dicit, aut ubi plura numina sub uno tecto sunt, ut Capitolium, aut ubi praeter aedem area sit adsumpta deum causa, ut in circo Flaminio Iovi Statori, aut in quo loco dei dicatum sit simulacrum, ut sicut in quo figunt candelam, candelabrum appellant, sic in quo deum ponunt, delubrum dicant. ergo hic cum dicit: delubra ad summa dracones, ut esset manifestum, subtexuit dei simulacrum; adiecit enim: saevaeque petunt Tritonidis arcem, nec praetermisit quin dei nomen adderet dicens: sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur, ne sine ratione delubri nomen intulisse videretur.* — Ad haec tertius quidam agglutinavit: *Masurius Sabinus delubrum, effigies, a delibratione corticis; nam antiqui felicium arborum ramos cortice detracto in effigies deorum formabant, unde Graeci ξόανον dicunt.* — quarti denique cuiusdam sunt: *alii delubrum dicunt templum ab eo quod nulli iunctum aedificio pluvia diluatur.*

[1]) *Quaest. Servianae,* Dissert. Gryphisw. 1882 p. 3—27.

cum Macrobio concinunt nec quicquam ultra addunt, quin ipse Macrobius compilatus sit non dubitabimus, praesertim si quando huius ipsius auctor superstes est, quod supra in locis e Gellio excerptis usu venire vidimus.

Quoniam qui maximum pontificalium verborum numerum nobis tradiderunt, quomodo inter se cohaereant disseruimus, de iis obiter pauca commemoremus, quos hic illic talia vocabula exhibere supra diximus.

Inter quos Isidorus plane pendet a Servio, cum Nonius inprimis Gellii Noctes Atticas et Varronis libros de vita populi Romani antiquitatibusque rerum humanarum et rerum divinarum compositos expilaverit. Scriptores vero ecclesiastici ante omnes Varronis antiquitates rerum divinarum exscribendas susceperunt, quorum Augustinus in libro qui *de civitate dei* inscribitur, tam arto cum Varrone vinculo coniunctus est, ut viri docti inde rationem atque indolem huius operis restituere conati sint.[1]) Quae Arnob. adv. nat. VII 24 et 25 de cultu ritibusque sacrificiorum Romanorum affert, originem ducere videntur ab opere quodam in lexici modum instituto, in quo singula quaeque, quae ad sacrificia pertinebant, composita et explicata erant. In glossographorum denique opera confluxerunt veteris doctrinae miserae reliquiae, quarum haud minima pars e Festi s. Verrii libris sumpta est.

---

[1]) R. Agahd *M. Terenti Varronis antiquitatum rerum divinarum libri I, XIV, XV, XVI.* Fleckeis. annal. Suppl. XXIV p. 5 sqq.

II.

Iam ad alteram huius commentationis venimus partem, in qua quae de singulorum pontificalium verborum et significationibus et veriloquiis[1]) proferri possunt, composita sunt. In iis autem enumerandis eam secutus sum rationem, ut secundum litterarum ordinem in priore parte ea afferrem vocabula, quae nonnisi a pontificibus in sacris adhibita esse docemur, cum in altera inveniantur ea, quibus etiam in communi hominum sermone usitatis pontifices certa quadam notione eaque a communi diversa semper usos esse scriptores narrant.

A.

Ablegmina. Paul. Fest. p. 21, 7: *Ablegmina partes extorum, quae diis immolantur,* cf. Glossar. Lat. V 589, 28: *Ablegmina partes extorum quae prosegmina dicuntur.*

Hanc vocem, quae nusquam alias legitur, ex praepositione *ab* et radice *leg-* compositam esse apparet. cf. *teg-men.*

Acieris. Paul. Fest. p. 10, 1: *Acieris securis aerca, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes.* Quae Glossar. Lat. V 590, 63 leguntur: *Acieris genus securis,* ex hoc Festi loco sumpta esse videntur; cf. praeterea Glossar. Lat. II 13, 9 *Accerres,* IV 202, 39 *Acerlis.*

Variae igitur cum vocabuli formae traditae sint, varias de eo sententias protulerunt viri docti, e quibus rectum vidisse mihi videtur Fr. Buecheler[2]) qui huic vocabulo eam subesse dicit radicem, quam in *ac-us,*

---

[1]) In quibus cum non ita facile vera a falsis dinoscantur, insigni comitate consilium suum mihi commodavit v. d. Fridericus Bechtel, cui gratias agere quam maximas iucundum est.

[2]) Mus. Rhen. XLVI 1891 p. 233.

ac-ies vocibus invenimus; *acieris* autem ad *acies* se habere demonstrat, ut *speres, speribus,* quae leguntur apud Enn. ann. 132. 410. Varr. sat. Men. 1. 350, ad *spes, spei,* quae forma recentioribus temporibus sola in Romanorum sermone remansit.

Adtegrare. Paul. Fest. p. 12, 3: *adtegrare est vinum in sacrificiis augere. integrare enim et adtegrare minus factum est in statum redigere.* Quod verbum ceterum inauditum fictum esse videtur a *tag-* quam radicem in *tangere, integer* videmus.

Africia. Arnob. adv. nat. VII 24: *quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumcum . . . . .? ex quibus duo quae prima sunt, pultium nomina, sed genere et qualitate diversa, series vero, quae sequitur, liborum significantias continet.* Vocabulorum quae hoc loco Arnobius affert, sine dubio magna pars ipsis a pontificibus non iam intellegebatur; vox *africia* alibi non legitur; fortasse orta est ex *affricia;* cf. *affrico, fricium.*

Agonia. Paul. Fest. p. 10, 10: *Agonias hostias putant ab agendo dictas,* cf. p. 10, 5: *hostiam enim antiqui agoniam vocabant.* Gloss. Lat. IV 13, 40. 306, 4 *agonia hostia.* IV 205, 2. V 438, 11. Dubium esse non potest, quin vox *agonia* ab *agendo* originem duxerit; inde aliae profectae sunt, ut puta Paul. Fest. p. 10, 5: *Agonium*[1]) *dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat,* cf. Varro de l. l. VI 12: *Agonales dies, Agonalia* (Paul. l. c.).

Albogalerus. Paul. Fest. p. 10, 12: *Albogalerus a galea nominatus; est enim pileum capitis, quo Diales flamines, id est sacerdotes Iovis, utebantur. Fiebat enim ex hostia alba Iovi caesa, cui affigebatur apex virgula oleagina.* Huius vocabuli veriloquium perspicuum est. Ceterum quae Gell. N. A. X 15, 32 secundum M. Varronem de flamine Diali exponit, ad hanc rem pertinent: *is solum album*

[1]) De hoc vocabulo cf. Wissowa in Encycl. real. I p. 869, 65.

habet galerum, vel quod maximus, vel quod Iovi immolata hostia alba id fieri oporteat; cf. etiam galerus.

Altilaneus. Serv. ampl. Aen. XII 170 *nonnulli autem porcum non porcam in foederibus adserunt solere mactari, sed poetam periphrasi usum propter nominis humilitatem; intonsam vero bidentem dixisse, quam pontifices altilaneam vocant;* cf. Act. fr. Arv. C. I. L. VI 2099 p. I v. 24 et p. II v. 1. Vocabuli compositio aperta est.

Ambarvalis hostia. Hanc vocem, etsi fratrum Arvalium est, tamen in pontificalium verborum collectionem recepimus, quod fratres Arvales antiquissimis temporibus sub pontificum potestate fuisse verisimile est et quod, cum collegium fratrum oblitteratum esset, pontifices eorum sacerdotali munere fungebantur (Strab. V 230). Ceterum quid significet vox quibusque ex elementis composita sit, cum appareat, nihil iam de ea dicendum est. Macrob. Sat. III 5, 7: *ambarvalis hostia est, ut ait Pompeius Festus, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab his, qui pro frugibus faciunt,* cf. Paul. Fest. p. 5, 1. Serv. Verg. Ecl. III 77. V 75; Georg. I 345. Strabo V 230. Glossar. Lat. V 615, 28. Eodem modo formatum est amburbius, cf. Serv. Verg. Ecl. III 77. Paul. Fest. p. 5, 2. Gloss. Lat. V 616, 3, quae glossa sine dubio Servio debetur.

Ambegnus. Paul. Fest. p. 4, 16: *Ambegni bos et verbix appellabantur, quum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur.* Varro de l. l. VII 31: *ut ambiegna bos apud augures, quam circum aliae hostiae constituuntur;* cf. Gloss. Lat. V 559, 7. Aliter Fulgent. p. 113, 14 (Helm): *Bebius Macer qui fastalia sacrorum scripsit, ait Iunoni eas quae geminos parerent, oves sacrificare cum duobus agnis altrinsecus religatis, quas oves ambignas vocari quasi ex utraque parte agnos habentes.*

De formis *ambiegnus, ambegnus, ambignus* ita res se habere videtur: vocabulum compositum est ex *ambi-* et *agn-us.* Si vocabulum *ambi-* cum ea voce coniungitur,

quae a vocali incipit, *i* eliditur: cf. *amb-arvalis, amb-edo, amb-eo, amb-itus;* si vero secunda vox a consona incipit, formam *ambi-* in coniunctione adhiberi videmus: *ambilustrium, ambi-fariam, ambi-dexter* etc. Cum vero sermo Latinus in syllaba clausa ante complures consonas pro *ă* vocali *ĕ* ponere soleat (cf. Dietrich *Zeitschr. f. vgl. Sprachforsch.* I 593 sqq.), quam Paulus nobis tradidit formam *ambegna* ut rectam accipere possumus.

Anclabris. Paul. Fest. p. 77, 11: *Anclabris ea ex qua in sacrificando diis anclatur, quod est hauritur ministraturque*, cf. p. 10, 11: *Anclabris mensa ministeriis divinis aptata. Vasa quoque in ea, quibus sacerdotes utuntur, anclabria appellantur.* Hoc vocabulum alias non invenitur. *Anclabris* ab *anclare* deducitur, ut *lavabrum* a *lavare;* cum verbo *anclare* cf. Graecum ἄντλον, ἀντλεῖν.

Ancus et Ancula. Paul. Fest. p. 19, 16: *Ancillae dictae ab Anco Martio rege, quod is bello magnum feminarum numerum ceperit. Sive ideo sic appellantur, quod antiqui anculare dicebant pro ministrare, ex quo dii quoque ac deae feruntur coli, quibus nomina sunt Anculi et Anculae.* Ut ex Paul. p. 77, 11 v. *Anclabris* apparet, haec vox coniungebatur cum *anclare,* quod est haurire. Id quod falsum est. *Anculus* ortum est ex *ambiqolos,* quae vox eadem est atque Graecum ἀμφίπολος (Bugge *Altital. Stud.* 22). Ab hoc *anculus* deductum est *anculare,* quod significat ministrare; ab *anclare* autem sive *haurire* plane alienum est.

Apexao. Arnob. adv. nat. VII 24: *quid inquam sibi haec volunt: apexaones, hirciae, silicernia, longavi, quae sunt nomina et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus;* cf. Varro de l. l. V 111 *quod in hoc farcimine summo quiddam eminet, ab eo quod ut in capite apex, apexabo dicta.* Glossar. Lat. V 440, 30. 561, 31: *apexabo farcimen ex hoc rotundum.* Tantum ex his scriptorum locis intellegi potest, hoc vocabulo certum quoddam farciminum genus significari; sed

unde originem duxerit vox dicere nequeo. Quam Varro affert explicandi rationem ab apice arcessitam vix pro recta accipies. Ceterum *apexabo,* quam formam Varro glossariumque exhibent, certe non diversa est. Altera utra forma inde fortasse orta est, quod librarii errore aliud quoddam vocabulum cum hoc confundebatur.

Arferius. Paul. Fest. p. 11, 14: *Arferia aqua quae inferis libabatur dicta, a ferendo; sive vas vini quod sacris adhibebatur.* Eandem fere huius vocabuli explicationem exhibent Glossar. Lat. loci aliquot: IV 208, 11. V 491, 55. 441, 29. Paulus l. c. recte dicit hoc vocabulum a *ferre* fictum esse; *d* littera ante *f* in *r* transiit; id quod saepius in prisco Romanorum sermone factum est, ut v. gr. *arfuisse* in Sen. Cons. de Bacch. legitur; cf. Priscian. I 45. Ceterum a verbo *ferre* complures voces sacrae deducuntur, ut puta *inferiae, offerumenta, praefericulum, ref(e)riva faba,* et in dialecto Umbrica[1]) *arfertur.*

Armillum. Paul. Fest. p. 2, 5: *Armillum vas vinarium in sacris dictum quod armo, id est humero deportetur;* cf. Non. p. 547 M. Gloss. Lat. IV 20, 46. 480, 34. Quod vocabulum nisi ab armo derivari non posse recte Festus dixit.

Armita. Paul. Fest. p. 4, 1: *Armita dicebatur virgo sacrificans, cui lacinia togae in humerum erat reiecta. Legibus enim Laurentum sanctum est, ne pomum ex alieno legatur in armum, id est quod humeri onus sit.* Gloss. Lat. II 23, 19: *Armitia θυσία.* De hoc vocabulo quomodo res se habeat, dubius haereo. Nam de virginibus tali modo ornatis nihil plane constat; quod Scaliger in Festi editione maximam virginem Vestalem[2]) dictam esse

[1]) Saepius contingit, ut Latinae linguae voces sollemnes redeant in Umbrorum sermone; cf. *fitilla* Paul. p. 73, *prosiciae* p. 85, *simpulum* p. 87, *adolere* p. 91, *arculata* p. 92, *strues* p. 105.

[2]) Dragendorff, *Die Amtstracht der Vestalinnen,* Mus. Rhen. LI p. 285 ex hoc Pauli loco coniecit priscis temporibus virgines Vestae toga vestitas fuisse.

putat, nihil habet quo sententiam defendat. Ac ne de Saliis quidem virginibus cogitari potest. Eas enim paludatas, non toga vestitas sacrificium facere Aelius Stilo nos docet (Fest. p. 329 a 18). Vocabulum certe ab armo fictum est. Armitia autem (cf. Gloss. Lat. l. c.) sacrificia appellata fuisse videntur, quae ab his virginibus fieri solebant.

Assidela. Paul. Fest. p. 19, 12: *Assidelae mensae vocantur, ad quas sedentes flamines sacra faciunt.* Festus ex *assidere* compositum esse hoc vocabulum ceterum inauditum recte dicit, cf. *mederi — medela, suadere — suadela, fugere — fugela.* Goetzius ea quae Gloss. Lat. IV 476, 44 et V 589, 9 exhibent, nempe *asseda sella quadriiugis* cum nostra glossa coniungit; fortasse recte.

Atanuvium (atanulus). Paul. Fest. p. 18, 11: *Athanuvium* (sic codd.) *est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani,* cf. Nigidius ap. Non. p. 40 M.: *ex re in saliaribus: attanus* (*adtanus* libri) *tintinnat, id est sonat.* Glossar. Lat. II 22, 25 *atena* εἶδος ποτηρίου ὀστράκου, ᾧ οἱ πρυτάνεις ἐν ταῖς θυσίαις χρῶνται. ibid. v. 47: *atanulus* (*atnanulus* liber) ἅγιον ἱερέως σκεῦος, κειμήλιον. Praeterea in commentariis ludorum saecularium quintorum et septimorum (C. I. L. VI 32323 v. 107 et 132) legitur *ad atallam fuerunt* sequentibus nominibus virorum qui tum sacrificio adfuerunt. De quo dicit Mommsen[1]): *Ipsum vocabulum quid significaret, cum frustra quaesivissem, admonuerunt per litteras et Buccheler et Zangemeister vocabuli in re sacra apud Romanos antiquitus usurpati, quod est* atana, *a quo atalla derivatum sit ut corolla a corona, femella a femina. Significatur eo vasculum quoddam in re sacra usurpatum* e. q. s. Recte haec Mommsen secundum viros doctos quos appellat. Olim in usu fuerunt et *atana* et *atanus* et *atanum,* a quibus formis et *atalla* et *atanulum* originem duxerunt. Sed quod

[1]) Ephem. epigr. VIII p. 254.

Mommsen in annotatione 2 eius quem laudavi loci eam quam Festus l. c. exhibet lectionem reiciens pro *athanuvium athanulum* scribi vult, virum egregium non sequimur. Exstant enim satis multa exempla quae nos docent ipsis in vasis sacris formam illam in *-uvium* exeuntem usurpatam fuisse, quibus monemur ut Festi glossae scripturam minime mutemus: Paul. Fest. p. 337, 10 Simpulum *vas parvulum.... quo ... in sacrificiis libatur.* Schol. Iuv. VI 343: Simpuvium *vas sacrificiis aptum* .... Fest. p. 264 a 2: *Polubrum*, pelluvium *in sarificiis vas* .... Fest. p. 161a 15: Malluvium *lacum commentarium sacrorum significat* ... e. q. s. *Atanuvium* igitur cum ut formam vere Latinam servare possimus, quaeritur, utrum scriptura per *th* an per *tt* aut *t* recta sit: *th* cum a vocabulis Latinis plane abhorreat, minime habet quo defendatur; secundum illum quem supra laudavi titulum, qui *atalla* exhibet, una tantummodo *t* littera recte scribitur.

Aulicoctus. Paul. Fest. p. 23, 13: *Aulas dicebant, quas nos dicimus ollas, quia nullam litteram geminabant. Itaque aulicocia* (sic codd.) *exta, quae in ollis coquebantur dicebant, id est elixa.* Eodem spectat quod Varro de l. l. V 104 dicit: *etiam frumentum quod ad exta ollicoqua solet addi ex mola, id est ex sale et farre molito.* Quod vocabulum quid significet, quibus ex elementis compositum sit, perspicuum est. Apud Festum autem pro *aulicocia,* quod iam dudum in suspicionem vocaverunt viri docti, quid reponendum sit, docent Acta fratrum Arvalium in quibus compluriens *aulicocta* illa exta appellantur: e. g. C. I. L. VI 2065 a v. 21: *exta aulicocta reddidit.* Ceterum perfacile per librarii errorem ex COCTUS illud COCIUS fieri potuit.

Bria. Glossar. Lat. II 31, 19: *Bria* εἶδος ἀγγείου. Arnob. adv. nat. VII 29 in eo loco ubi de sacris Romanorum ritibus verba facit: *brias depromite;* cf. Apul. apol. 59. Charis. G. L. I p. 83, 16: *Heber et hebriacus ne dixeris. bria enim est vas vinarium, unde hebrius et hebria dici-*

tur . . . e. q. s. *Ebrius* et *sobrius* fortasse coniungenda sunt cum *bria,* quae vox unde deducenda sit ignoro. Fieri potest ut quae Paul. p. 79, 11 v. *Exbures* affert, eiusdem originis sit: *Exbures exinteratas*, *sive exburae*, *quae exbiberunt*, *quasi epotae.*

Calpar. Paul. Fest. p. 65, 13: *Calpar vinum novum quod ex dolio demitur sacrificii causa antequam gustetur. Iovi enim prius sua vina libabant*, *quae appellabant festa Vinalia.* Inde sumpta sunt, quae Gloss. Lat. V 14, 10 (cf. 51, 13) leguntur: *Calpar vinum quod primum libatur e dulio,* cf. praeterea II 96, 32. 96, 34. V 52, 3. Non. p. 546 M. Fick et Bezzenberger (*Bezzenbergers Beiträge* VI 236) cum hoc vocabulo recte conferunt Graeca *κάλπη*, *κάλπις*, quae significant *Krug*, ahd. *halap*, mhd. *halp*, quae vox significat *Stiel*, *Handhabe.*

Camillus, -a. Paul. Fest. p. 93, 2: *Flaminius camillus puer dicebatur ingenuus patrimes et matrimes, qui flamini Diali ad sacrificia praeministrabat: antiqui enim ministros camillos dicebant. Alii dicunt omnes pueros ab antiquis camillos appellatos,*[1] *sicut habetur in antiquo carmine*, *cum pater filio de agricultura praeciperet: hiberno pulvere*, *verno luto grandia farra*, *camille*, *metes;* cf. Paul. Fest. p. 43, 13 v. *Camilla,* p. 63, 11 v. *Cumeram,* p. 93, 6 v. *Flaminia.*[2] Serv. Aen. XI 558. Serv. ampl. Aen. XI 543. Macrob. Sat. III 8, 6—7.[3] Varro de l. l. VII 34.[4] Plut.

---

[1] Quod si verum est, melius hoc vocabulum inter ea habetur, quae sub B littera sequentur.

[2] Dubitari non potest, quin Festus vel Verrius scripserit *Flaminia camilla* secundum illud *Flaminius camillus,* quod l. c. v. 2 legimus; vocem *camilla* hoc loco Paulus per neglegentiam omisit, cf. Mueller. in edit. annotatione.

[3] Servii amplioris annotatio ad Aen. XI 543 verbotenus ex Macrobio exscripta est; cf. ea quae in priore huius commentationis parte de iis dicta sunt.

[4] Varronem hoc loco eodem fonte usum esse quo eum, quem Macrobius exscripsit, probatur et Callimachi nomine et eodem Pacuvii versu utroque loco laudato.

Num. c. 7. Dionys. Hal. II 22. G. L. VII p. 543, 27. Gloss. Lat. II 96, 52. V 174, 41—42. 616, 32. 618, 4. Solmsen (*Stud. z. lat. Lautgesch.* p. 165) et *camēna* et *camillus* derivari vult ex *cadmena*, *cadmillus; casmena*, *casmillus* ex *cadsmena*, *cadsmillus*; cf. *κεκαδμένος*, *Κάδμος* et *Κάσμος*, quod ex *Κάδσμος* ortum est.

Capis. Varro de l. l. V 121: *Capides et minores capulae a capiendo, quòd ansatae ut prendi possent, id est capi. harum figuras in vasis sacris ligneas ac fictiles antiquas etiam nunc videmus;* cf. Paul. Fest. p. 48, 9. Priscian. G. L. II 251, 12. Gloss. Lat. V 617, 41: *capis est vas pontificalis.* Varronis et significationis definitionem et veriloquium quominus ut rectam accipiamus nil nos impedit.

Capital. Varro de l. l. V 130: *item texta fasciola, qua capillum in capite alligarent, dictum capital a capite, quod sacerdotulae in capite etiam nunc solent habere;* cf. Paul. Fest. p. 57, 6. Varronis vocabuli explicatio recta esse videtur. Ceterum de hoc capitis ornamento nihil inveni.

Catumeum. Arnob. adv. nat. VII 24 hoc vocabulum libum quoddam in sacris significare narrat.

Caviares ⟨hostiae⟩. Paul. Fest. p. 57, 19: *Caviares hostiae dicebantur, quod caviae* (sic codd.), *id est pars hostiae cauda tenus, dicitur et* (sic codd.) *ponebatur in sacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno.*[1]) Recte Paulus l. c. dicit voce. *cavia* et *cauda* coniungenda esse inter se; *cauda* fortasse ex *cavida* ortum est.

Clunac(u)lum. Paul. Fest. p. 50, 6: *Clunaclum cultrum sanguinarium dictum vel quia clunes hostiarum dividit, vel quia ad clunes dependet;* cf. Gloss. Lat.

---

[1]) Quam Paulus exhibet lectio corrupta est; nam et *caviae* sensu caret et aut *id est* aut *dicitur et* supervacaneum esse videtur. Lindemannus *cavia*, omissis vocabulis *id est* legendum putat. Mihi potius *id est* servandum et vocabula *dicitur et* ut postea in textum inserta omittenda esse videntur.

V 14, 28 (Placid.). Gell. N. A. X 25, 2. Isidor. orig. XVIII 6, 6, qui per errorem *clunabulum* scribit. Quam vocem ut inter pontificalia reciperem Pauli illud *hostiarum* me commovit. Ceterum recte Corssen (*Krit. Beitr.* p. 347) vocem derivat a verbo *clunare*, quod est nostra lingua *sich mit der clunis zu tun machen; clunaculum* igitur instrumentum appellatur, quo clunatur.

Commetaculum. Paul. Fest. p. 64, 17: *Commetacula virgae, quas flamines portant pergentes ad sacrificium, ut a se homines amoveant;* cf. p. 56, 16. Dubitari potest, an non recte exscripserit Paulus Festi glossam. Cum enim alias nominentur praeciae (Fest. p. 249a 20. Paul. Fest. p. 224, 1) vel praecones (Macrob. Sat. I 16, 9) vel pontificum calatores (Serv. Verg. Georg. I 268), qui a flaminibus ad sacra ituris homines amovent, hoc quoque loco non sine probabilitate conicitur Festum dixisse has virgulas non a flaminibus sed ab eorum apparitoribus portari. Ex Plaut. Men. 1019 *nimis bene ora commetavi atque ex mea sententia* apparere puto radicem, quam in *meta, metari* videmus, huic quoque subesse vocabulo.

Confetus. Paul. Fest. p. 57, 21: *Confeta sus dicebatur, quae cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium;* cf. Verg. Aen. VIII 43. Plena illa sus, quam Fest. p. 238a 28 Telluri offerri dicit, eandem esse atque hanc vix contenderim; hoc enim loco de gravida sue agi videtur, cum in illo sacrificio ea sus immoletur, quae fetus iam enixa est, una cum quibus mactatur. Vocabuli origo perspicua est: *fe-tus* quam artissime coniungendum est cum Graeco *θῆσθαι, θήσατο, θηλή, θῆλυς.*

Consentia sacra. Paul. Fest. p. 65, 11: *Consentia sacra quae ex multorum consensu sunt statuta.* Aliunde hoc vocabulum notum non est. Tantum constat a *consentire,* id quod Paulus vult, id non derivari. Dubitari non potest, quin coniungendum sit cum illis consentibus diis, quorum interdum mentio fit (Varro de r. r. I 1, 4. C. I. L. VI 102) quorumque appellatio sine dubio a *con-* et *esse*

profecta est, sicut *praesens* a *praeesse*, *absens* ab *abesse*; cf. Preller *Röm. Mythol.* I [3] p. 69 et annot.

Conitum. Paul. Fest. p. 40, 8: *Conitum genus libaminis, quod ex farina conspersa faciebant.* Hoc vocabulum alibi non inventum inter vocabula pontificalia recepi, quod libamen in sacris eo significari nos docet Paulus. Sed Muellero, qui in edit. annot. id a Graeco *κόνις* deduci posse existimat, fidem non habemus. Fieri posse puto, ut *conus*, *conitus* i. e. coni modo formatus substituamus.

Cubula(?). Arnob. adv. nat. VII 24: *quid fritilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, cumspolium* (sic codd.) *cubula? Ex quibus duo quae prima sunt pultium nomina, sed genere et qualitate diversa; series vero quae sequitur liborum significantias continet* . . . . . Huic loco graviter laeso an nunquam plane mederi possimus dubito. Cum *cubula* ceterum inaudita sit vox, fortasse *subucula* restituendum esse Buecheler (Umbr. 62) coniecit, quod vocabulum libi genus significare Fest. p. 309a 25 nos docet. Quamvis autem facile suspicari possimus *cumspolium* illud eo modo ortum esse, ut ex *spolium* et praecedentis *catumeum* ultimis syllabis per errorem repetitis confunderetur, tamen haec coniectura hoc loco sensu caret, quod libi cuiusdam appellatio desideratur, quam spolio attribuere non possumus.

Culticula. Paul. Fest. p. 50, 9: *Culticula* (*culcitula* pl. codd.) *fusticulus quidam ligneus in sacris dicebatur.* Mueller in ed. annot. et hoc vocabulum et cultrum originem ducere dicit a verbo *cello*, ut *subligaculum* et *subligar* a *ligando*. Sed cum alias de hoc vocabulo nihil constet et hoc loco codicum lectio incerta sit, melius hanc rem in medio relinqui puto.

Cuturnium. Paul. Fest. p. 51, 1 cf. gutturnium.

Effugius. Serv. ampl. Aen. II 140: *sed hic dicendo effugia verbo sacrorum et ad causam apto usus est. nam*

hostia quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugerit, effugia vocari vetere more solet.

Exesse. Paul. Fest. p. 82, 8: *exesto extra esto. Sic enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: hostis, vinctus, mulier exesto; scilicet interesse prohibebatur.* Talium sacrorum exempla apud Serv. Aen. VIII 179 et Suet. Claud. 22 leguntur.

Exfir. Paul. Fest. p. 79, 13: *Exfir purgamentum, unde munet adhuc suffitio.* Cum lat. verbo *fio* cf. Graec. *θύω.*

Februm, februus, februare. Paul. Fest. p. 85, 16: *quaecunque denique purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur. id vero quod purgatur dicitur februatum.* Varro de l. l. VI 13: *Februm Sabini purgamentum et id in sacris nostris verbum;* cf. Augustin. de civ. Dei VII 7. Plut. Num. c. 19. Non. p. 114 M. Censorin. 22, 14—15. Lyd. de mens. IV 25. Macrob. Sat. I 13, 3. Glossar. Lat. V. 199, 20. 500, 36. 641, 22 etc. Vocabulo *februm* proprie significabantur lora e caprorum pelle caesa, quibus Luperci feminas verberare solebant, ut sterilitate liberarentur (Serv. ampl. Aen. VIII 343; cf. Ov. fast. II 21 sq.). Ceterum de huius vocabuli veriloquio nihil certi erui posse puto.

Fendica. Arnob. adv. nat. VII 24: *Non similiter fendicas, quae et ipsae sunt hirae, quas plebis oratio illas solet cum eloquitur nuncupare.* Alio loco haec vox non legitur. Originem ducere mihi videtur ab eadem radice, qua nostrum *binden*, quae significatio perbene apta est ad intestina; artissimo igitur vinculo haec vox coniuncta est cum voce *offendix* (Fest. p. 205); v. infra p. 62.

Ferctum. Paul. Fest. p. 85, 9: *Ferctum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi, quae qui afferebant struferctarii appellabantur;* cf. Fest. p. 294a 5 v. *Strufertarios.* Gell. N. A. X 15, 15. Isidor. orig. VI 19, 24. Cato de agric. 134. 141. Acta fratrum Arvalium semper *fertum* exhibent. Quam

veteres afferunt vocabuli deductio a ferendo, etsi nostris temporibus non defuerunt, qui eam defenderent (Marquardt *Röm. Staatsverw.* III [2] p. 249 annot. 3), quin falsa sit non dubitatur. Nam unde *c* littera in radicem *fer-* venerit non explicatur. Si *ferctum* re vera cum verbo *farcio* coniungendum esset, certe originem a compositis duceret, quae a *farcire* finguntur (cf. *conferctus* a *confarctus*), nam si ex simplici verbo farciendi derivaretur, *a* litteram retineret. Sed haec sententia nihil habet quo defendatur. Itaque hanc quaestionem nunc quidem solvere non valemus.

Fitilla (fritilla). Arnob. adv. nat. VII 24 *fitillam* pultis genus esse narrat; cf. Gloss. Lat. IV 76, 47. Plin. n. h. XVIII 84. In hac voce explicanda proficiscendum est a forma *fitilla,* quam optimi codd. praebent. *Fitilla* deducitur a *fivitilla* (cf. Paul. Fest. p. 92,8: *Fivere item* [sc. apud Catonem] *pro figere*). Umbricum *ficla* (Buecheler Umbr. 62) eiusdem originis est.

Frumen. Arnob. adv. nat. VII 24 etiam *frumen* pultis genus esse dicit. *Frumen* ad *frumentum* se habet ut *augmen* ad *augmentum, suffimen* ad *suffimentum;* ut *fruges* et *fructus* demonstrant, a *frugmen* et *frugmentum* ortum est.

Forco(?). Gloss. Placid. (V 22, 2 cf. 70, 7): *Forco, quam nunc falliscum appellamus, nunc culter, alias securis, qua pontifices in sacris utuntur, dicta ab eo quod feriendo petat.* De hoc vocabulo quomodo res se habeat nescio. Glossarii veriloquium certe falsum est.

Fordus. Paul. Fest. p. 83, 13: *Fordicidiis boves fordae id est gravidae immolabantur, dicta a fetu;* cf. Serv. ampl. Aen. II 140. Varr. de l. l. VI 15. Gloss. Lat. II 72, 64. V 22, 10. Etiam formam *hordus* usurpatam fuisse Paul. Fest. p. 102, 15 nos docet, sicut praeter *fanula* etiam *hanula* dictitabatur (cf. p. 103, 8). Recte Varro l. c. dicit hanc vocem a ferendo derivari.

Gratilla. Secundum Arnob. VII 24 libi genus significat.

Gutturnium. Paul. Fest. p. 98, 13: *Gutturnium vas ex quo aqua in manus datur, ab eo quod propter oris angustias guttatim fluat;* cf. p. 51, 1 v. *Cuturnium.* Eodem pertinet *guttus,* Varro de l. l. V 124. Plin. n. h. XVI 185. Joh. Schmidt (*Zur Geschichte d. idg. Vocalism.* II 351) veterem vocabuli formam *cuturnium* fuisse suspicatur, quam sententiam probat Froehde (*Bezz. Beitr.* XIV 100); cf. Graec. κύτος, κύτταρος. *Cuturnium* deinde, quia cum *guttus* coniungebatur, in *gutturnium* mutatum est.

Harviga. Paul. Fest. p. 100, 6: *Harviga dicebatur hostia, cuius adhaerentia inspiciebantur exta.* Recte Muellerus ad hanc glossam annotavit Paulum in excerpendo per neglegentiam id vocabulum omisisse, cui illa exta adhaesissent. Ceterum perspicuum est *harviga* vocem ex verbo *haerere,* id quod Paulus s. Festus volebat, explicari non posse. Non minus in hoc vocabulo interpretando falsam viam ingreditur Varro de l. l. V 98: *Aries, quod eum dicebant ἀρήν veteres, nostri arviga, hinc arvignus. haec sunt, quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur, quas et Accius scribit et in pontificiis libris videmus. In hostiis eam dicunt arvigam, quae cornua habeat, quoniam is, cuei ovi mari testiculi dempti, et cornibus caret; ideo ut natura versa vervex declinatum.*[1]) Tantum inde colligi potest Varronem primum *harviga* vocem coniungere cum *aries,* ad quod expediendum *harviga* vocabulo primum *h* litteram demit (cf. V 115 *hasta: asta: adstare: astare*), deinde *vervex* ex versa natura interpretatur. Aliam interpretationem Donat. ad Ter. Phorm. IV 4, 28 praebet; cf. praeterea Vel. Long. G. L. VII 73, 9. Gloss. Lat. V 441, 11.

Veterum igitur ex explicationibus tantum concluditur vocabulo *harviga* hostiam marem significatam esse,

---

[1]) In Varronis verbis misere corruptis citandis Corssenum secutus sum, qui (*Ausspr. d. Lat.* I [2] p. 509) eam praebet lectionem, quae intellectu facillima esse videtur.

quae cornua habebat, cuius exta ab haruspice inspecta in olla coquebantur. Etiam nostris temporibus non defuerunt, qui hoc vocabulum ratione etymologica magna cum sagacitate interpretari conarentur, sed dubito an nunquam recta explicatio proferri possit.

Indigites dii. Serv. Aen. XII 794: *et indigites dii duplici ratione dicuntur: vel secundum Lucretium, quod nullius rei egeant, qui ait nihil indiga curae, vel certe indigites sunt dii ex hominibus facti et dicti indigites, quasi in diis agentes* . . . addit Serv. ampl.: *vel quod nos deorum indigeamus, unde quidam omnes deos indigites appellari volunt. alii patrios deos indigites dici debere tradunt, alii ab invocatione indigites dictos volunt, quod indigeto est precor et invoco;* cf. Serv. Georg. I 498. Placid. Gloss. Lat. V 27, 19. Macrob. comment. in Somn. Scip. I 9, 7. His tam variis vocabuli explicationibus id unum probatur veteres grammaticos ipsos non scivisse, unde eius etymon peterent. Sed etiam nostris temporibus viri docti sententiis magnopere variantur. Atque ut omittamus ea quae R. Peter in Roscheri lex. myth. II p. 129—233 de iis dicit, Corssen (De Volscorum lingua p. 18) et hoc vocabulum et *indigitamenta* ab oblitterato verbo *indigĕre,* i. e. invocare, deducit. Id quod falsum est. Nam indigites dii, si essent invocati dii, non coniungi possent cum novensidibus diis, id quod semper fere fit (cf. Liv. VIII 9, 6), qui non minus invocantur. Leo Meyer (*Vgl. Grammat.* II 320), quem secuti sunt G. Clemm (G. Curtii stud. VIII 12), Buecheler (*Grundr. d. lat. Decl.* p. 12), Preller (*Röm. Myth.* I [3] p. 92), hoc vocabulum compositum esse docet ex *indu-* et *gen-,* ita ut vox eadem sit atque Graecorum *ἐνδογενεῖς;* cf. etiam G. Wissowa *De dis Rom. indigetibus et novensidibus,* Marpurgi 1892. Nuperrime autem F. Bechtel (*Bezzenberg. Beitr. z. Kunde d. indog. Sprach.* XXII 1897 p. 282) de hoc vocabulo haec proposuit, quae mihi vera esse persuasit: *Dagegen gewinnt man eine analyse des wortes, die den lauten wie der bedeutung gerecht wird,*

wenn man von indugetos ausgeht und in ugetós ein altes, mit lat. veges, griech. ὑγιής und ἀϜέξω in enger verbindung stehendes participium sieht, dem die bedeutung gewachsen *zukam.*

Indigitamenta. Serv. Georg. I 21: . . . *nomina haec numinum in indigitamentis inveniuntur, id est in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continent, quae etiam Varro dicit* e. q. s., cf. Paul. Fest. p. 114, 6. 114, 3. Arnob. adv. nat. II 73. Serv. ampl. Aen. XII 794. Censorin. de die nat. 3, 4. Gloss. Lat. II 80, 47. V 210, 36. Hoc vocabulum ab omnibus, quantum vidi, viris doctis coniungitur cum *adagium, prod-igium, axare.*

Inferius. Paul. Fest. p. 113, 2: *Inferium vinum id quod in sacrificando infra paterae labrum ponebatur;* cf. Cato de agric. 132. Isid. orig. XX 3, 7 ubi *infertum* per librarii errorem legitur (cf. aulicoctus). Arnob. adv. nat. VII 31.

Iniugis. Macrob. Sat. III 5, 5: *In his ipsis hostiis .... quaedam sunt, quae iniuges vocantur, id est, quae nunquam domitae aut iugo subditae sunt;* cf. Paul. Fest. p. 113, 19. Fulgent. p. 115, 1 H.

Irceus(?). Paul. Fest. p. 114, 1: *Ircei genus farciminis in sacrificiis;* cf. p. 105, 4. Si quod apud Arnob. adv. nat. VII 24 legimus vocabulum *quid inquam haec sibi volunt: apexaones, hirciae ....* idem est atque nostrum *ircei,* quin ab hirco nomen acceperint, dubitari nequit.

Irnela. Paul. Fest. p. 105, 12: *Irnela vasis genus in sacris.* Vocabulum ex *hirneola* corruptum esse videtur; *hirneola* diminutivum est vocis *hirnea,* quam coniungendam esse cum palaeosl. *grŭnŭ* Joh. Schmidt (*Z. Gesch. d. idg. Vocalism.* II 21) nos docet.

Malluvium. Fest. p. 161a 15: *Malluvium lacum commentarium sacrorum significat, manus qui lavent; a quo malluviae dicuntur, quibus manus sunt lautae;* cf. Paul.

p. 160, 4. Vocis compositio aperta est; cf. *manceps, mansuetus, mantelum, pelluviae.*

Manalis lapis. Paul. Fest. 128, 5: *Manalem lapidem vocabant etiam petram quandam, quae erat extra portam Capenam iuxta aedem Martis, quam cum propter nimiam siccitatem in urbem pertraherent, insequebatur pluvia statim, eumque, quod aquas manarent, manalem lapidem dixere;* cf. p. 2, 12. Non. p. 547 et 559 M. Serv. ampl. Aen. III 175. Fulgent. p. 112, 14 Helm. Veterum explicatio nominis falsa est. Nam *manalis,* a *manare* quod significat fluere, formatum nunquam eam vim habere potest, ut sit efficere, ut aliquid fluat sc. pluvia; lapis autem fluens sensu caret. Praeterea si is lapis, qui mundum claudebat, *lapis manalis* appellabatur (Fest. l. c.), non inde nomen accepit, quod per eum animae manarent, sed a manibus. Cum vero Romani siccitates, morbos aliasque calamitates publicas per deorum manium iram ortas esse sibi persuasissent, non ita difficile est intellectu, cur in nimia siccitate pontifices manalem lapidem, i. e. manium lapidem in urbem traxerint, scilicet ad placandam manium iram; cf. Hoffmann Mus. Rhen. L 1895 p. 484 sq. et Wissowa in Roscheri lex. myth. II 2308.

Medialis hostia. Paul. Fest. p. 124, 7: *Medialem appellabant hostiam atram, quam meridie immolabant.* Haud improbabiliter coniecit Dionysius Gothofredus *Medidialem* scriptum fuisse. Nam *medidialis* formam usurpatam fuisse Varro de l. l. VI 4. Cic. orat. 47, 157. Quint. I 6, 30 testantur.

Molucrum. Fest. p. 141a 20: *Cloatius etiam ⟨et Aelius Stilo⟩ in libris sacrorum molucrum esse aiunt lignum quoddam quadratum ubi immolatur. Idem Aelius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait quod sub mola supponatur. Aurelius Opilius appellat, ubi molatur;* cf. Paul. p. 140, 9. Ex *molu-* conicitur quondam praesens *molvo* fuisse, cui respondet got. *gamalvjan*

(*συντρίβειν*); cf. lat. *volvo:* got. *valvjan* (wälzen) Osthoff *Forsch.* I 106.

Napura. Fest. p. 165a 2: *Nectere ligare significat et est apud plurimos auctores frequens, quin etiam in commentario sacrorum usurpatur hoc modo: Pontifex minor ex stramentis napuras nectito: id est funiculos facito, quibus sues adnectantur;* cf. Fest. p. 169a 22. Haec vox pertinet ad palaeosl. *snopŭ* (*δεσμή*, fasciculus), theod. *snuoba* (vitta), *snuobili* (murenula). Fick *Vgl. Wörterb.*[4] I 574.

Nautea. Fest. p. 166a 4: *⟨Labeo⟩ in commen⟨tario iuris pontificii ait nauteam rubi⟩dum quiddam⟨esse quo pontificum vestimenta quae⟩dam colorant.* Lacerum Festi textum his supplementis explevit Fulvius Ursinus, *bene quidem inventis, sed valde incertis,* ut ponam Muelleri (in annot.) verba.

Neniae. Arnob. adv. nat. VII 24: *quid taedae, quid neniae, quid offae non volgi, sed quibus est nomen appellatioque penitae? . . . quod in secundo situm est* (sc. neniae), *intestini est porrectio, per quam proluvies editur sucis perexsiccata* (Reiffersch. *percocta et exsiccata*) *vitalibus.*

Novensides dii. Varro de l. l. V 74. Liv. VIII 9, 6. Mart. Cap. I 46. Arnob. III 38. Mar. Vict. G. L. VI p. 26. Fabretti Inscr. It. 2742; cf. Wissowa *De dis Rom. indig. et novens.* Marpurgi 1892. Etiam in hoc vocabulo interpretando magnopere discesserunt viri docti et veterum et nostrorum temporum. C. Calpurnius Piso, L. Aelius Stilo, Manilius, Granius Flaccus, Varro (cf. Arnob. l. c.), Mommsen (*Unterital. Dial.* p. 342), Corssen (Kuhn. annal. IX 160 sq.), Jordan (ad Prelleri myth. Rom. I p. 102 annot. 2) novensides nihil aliud esse nisi novem deos una consedentes dixerunt. Ad quem numerum explicandum alii ex alia Italorum religione deos novenos arcessiverunt (cf. Wissowa l. c. p. VII). Tandem Michael Bréal (*les tables Eugubines* p. 188) ad Cincii (cf. Arnob. l. c.) explicationem reversus intellexit *novensidem* eum esse *qui*

nuper insedit. Hanc explicationem veram esse ex ea coniunctione indigitum et novensidum deorum colligitur, qua Romani usi sunt, si omnes deos invocare volebant (cf. supra p. 58).

Offendix, offendimentum. Fest. p. 205a 2: *offendices ait esse Titius nodos, quibus apex retineatur et remittatur. at Veranius coriola existimat, quae sint in loris apicis, quibus apex retineatur et remittatur, quae ab offendendo dicantur; nam quom ad mentum perventum sit, offendit mentum;* cf. Gloss. Lat. IV 123, 3. V 574, 6. Offendimentum, id quod Festus vult, ab offenso mento explicari non potest. Utrumque vocabulum eiusdem originis esse qua nostrum *binden* Joh. Schmidt (*Zur Gesch. d. idg. Vocalismus* I 127) nobis primus ostendit; cf. fendica p. 55.

Offerumentum. Paul. Fest. p. 188, 10: *offerumenta dicebant, quae offerebant.* Hoc vocabulum inter pontificalia recepi, quod inprimis de deorum oblationibus usurpatum fuisse suspicabar. Cui non obstat quod Plaut. Rud. 753 verbera per iocum *offerumenta* appellat.

Pandicularis. Paul. Fest. p. 220, 19: *Pandicularis dies idem et communicarius, in quo omnibus diis communiter sacrificabatur.* Quod vocabulum coniungendum est cum *pandere.* Nam ut a *redire* formatur *rediculus,* a *deridere deridiculus,* sic a *pandere pandiculus,* unde *pandicularis* fit. Quomodo autem factum sit, ut pandicularis dies, i. e. quasi apertionis dies, communicarii nomen acceperit, diiudicari non potest.

Persillum. Fest. p. 217a 13: *Persillum vocant sacerdotes rudusculum picatum, ex quo unguine flamen Portunalis arma Quirini unguet;* cf. Paul. p. 116, 2.

Pesestas. Fest. p. 210b 19: *Pesestas inter alia, quae inter precationem dicuntur, cum fundus lustratur, significare videtur pestilentiam, ut intellegi ex ceteris possit, cum dicitur: avertas morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem;* cf. Paul. p. 211, 8.

Plasea. Arnob. adv. nat. VII 24: *quid palasea sive ut quidam significant plasea?,* cf. c. 25. Vocabulum certam hostiae partem significat.

Polimina. Arnob. adv. nat. VII 24: *Polimina porro sunt ea quae nos proles verecundius dicimus, a volgaribus autem adsolent cognomine testium nuncupari.* Fest. p. 234a 34 *polimenta* dicit (cf. Paul. p. 235, 9), quam vocem a poliendo derivari putat. Fortasse in hac voce explicanda ordiendum est a *pollimen*, quod proprie *Ball* significat; cf. *pollit: pila ludit* Paul. Fest. p. 243, 4.

Polubrum, pelluvium. Fest. p. 246a 2: *Polubrum pelluvium in sacrificiis vas, quod nos pelvem dicimus;* cf. Paul. p. 247, 1. Non. p. 544 M. Arnob. adv. nat. II 23. Gloss. Lat. V 37, 22. Vocabulum coniungendum est sicut *delubrum* cum verbo *luere;* cf. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 400. De forma *pelluvium* cf. *malluvium.*

Praecia. Paul. p. 224, 1: *Praecias dicebant, qui a flaminibus praemittebantur, ut denuntiarent opificibus manus abstinerent ab opere, ne, si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur;* cf. Fest. p. 249a 20 v. *Praeciamitatores,* ubi Madvig (Adv. crit. I p. 33) *praeciae viatores* legendum esse recte vidit. *Praeco* secundum Stowasserum (*Bezz. Beitr.* XXIII 101) ex *praedico* ortum est. *Pruecia* autem utrum eiusdem sit originis necne, non diiudicaverim.

Praecidaneus. Paul. Fest. p. 223, 19: *Praecidanea agna vocabatur, quae ante alias caedebatur. Item porca, quae Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est glebam non obiecisset, quia mos erat eis id facere, priusquam novas fruges gustarent;* cf. Fest. p. 218a 17. Gell. N. A. IV 6, 8. Non. p. 163 M. Mar. Vict. G. L. VI 25, 16. Cato d. agric. 134. Hoc vocabulo, quippe quo semper sacrificium piaculare significaretur, etiam ea appellabatur hostia, quae ante sollemnia festa immolari solebat, ut si quid peccatum esset, expiaretur: Gell. N. A.

IV 6, 7. Paul. l. c. Quo fit, ut dies pridie ferias publicas, qui partim feriati erant, *feriae praecidaneae* appellarentur; cf. Gell. N. A. IV 6, 9. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 372.

Praefericulum. Fest. p. 249b 14: *Praefericulum vas aeneum sine ansis appellatur patens summo velut pelvis, quo ad sacrificia utebantur in sacrario Opis Consivae.* Paul. p. 248, 11.

Prodiguus. Fest. p. 250b 9: *Prodiguae hostiae vocantur, ut ait Veranius, quae consumuntur, unde homines quoque luxuriosi prodigi;* cf. Paul. p. 251, 4. Recte Wissowa (*Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 354 adn. 2) ostendit hoc loco *a populo* vel tale quid desiderari; *consumitur* enim omnis hostia. Quod si rectum est, hoc nomine significantur eae hostiae, quas in commentariis ludorum saecularium *prodigivas* appellatas invenimus; C. I. L. VI 32323 v. 90—91. Cum forma duplici *prodigivus-prodiguus* comparari iubeo *vocivus-vacuus, recidivus-reciduus, nocivus-(in)nocuus, irrigivus-irriguus* al.

Propudianus. Fest. p. 238b 17: *Propudianus porcus dictus est, ut ait Capito Ateius, qui in sacrificio gentis Claudiae velut piamentum et exsolutio omnis contractae religionis est.* Propudiani igitur porci sacrificium eodem fere officio fungi debet quo porca praecidanea.

Prosiciae, prosecta, prosicies, prosicium. His vocabulis, quorum veriloquium perspicuum est, in sacrificiorum ritu exta significantur, quae certa quadam ratione comparata diis porriciebantur; cf. Marquardt *Röm. Staatsverw.* III p. 182—183. Lübbert comment. pont. p. 121 sqq. Prosiciae: Arnob. VII 25. Solin. 5, 23. Mart. Cap. I 9; eandem vocem in dialecto Umbrica invenimus: *pruseçia*[1])

[1]) Tab. Iguv. II A 23 (Buecheler *Umbrica* p. 5).

(prosicias). Prosecta Varro de l. l. V 110, prosicies Non. p. 220, 22 M., prosicium Paul. p. 225, 15.[1])

Refrivus. Fest. p. 277a 17: *Refriva faba dicitur, ut ait Cincius quoque, quae ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causa, quasi revocans fruges, ut domum ditent; ea est virtute ad rem divinam faciendam. Aelius dubitat, an ea sit, quae prolata in segetem domum referatur, an quae refrigatur, quod est torreatur. Sed opinionem Cincii adiuvat, quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata dis datur, nominatur refriva;* cf. Plin. n. h. XVIII 119. Interpretationem Cincii, qui *refrivus* a *referre* derivandum esse dicit, nostri quoque viri docti receperunt; cf. Corssen *Ausspr. d. Lat.* II 577.

Sacrima. Fest. p. 318a 23 (Paul. p. 319, 1): *Sacrima est, ut ⟨Aelius Stilo⟩ et Cloatius dicunt, mustum inditum in amphoram Meditrinalibus sacrificii causa pro vineis vasisque et vino, quae quasi sacra ea re fiunt, quod Libero fit, ut praemetium quod Cereri;* cf. Gloss. Lat. II 176, 49. Sacrima ἀπαρχὴ γλεύκους; cf. Sacer p. 78. Sacrima superlativus est voc. *sacris;* cf. *bruma* = *brevima.*

Salsamina. Arnob. adv. nat. VII 24: *non salsamina denique, quae sunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus.*

Secespita. Fest. p. 348a 4: *Secespitam esse Antistius Labeo ait cultrum ferreum, oblongum, manubrio eburneo rotundo solido vincto ad capulum auro argentoque fixum clavis aeneis, aere Cyprio, quo flamines flaminicae virgines pontificesque ad sacrificia utuntur .... ita secespitae dicuntur a secando;* cf. Paul. p. 349, 1. Serv. ampl. Aen. IV 262 (sec. Festum). Suet. Tib. 25. *Secespita* fortasse vetus vocabulum compositum est, quod olim fuit *secescaputa.* In

---

[1]) *Prosicium* `*quod prosecatum proicitur.* Dubium non est, quin Festus s. Verrius scripserint *porricitur;* cf. Macrob. Sat. III 2, 2. Paulus vero, sive per neglegentiam, sive ut interpretaretur *porricitur, proicitur* posuit.

seces- res nobis est cum stirpe in *-s* exeunte, quam in nostro *sense* (ahd. *segansa*, quod ex *segasna* ortum est) servatam videmus. In prima alterius partis syllaba syncope facta est; cf. praeterea *hospita* et *hospet-s*. Eadem radix subest vocabulis *sacena* et *secivum*.

Sacena. Fest. p. 318b 16: *Scena ab aliis, a quibusdam sacena appellatur dolabra pontificalis;* cf. Fest. p. 330a 33; *sacēna* ortum est ex *sacesna;* de *saces-* cf. *sax-*, quod in *saxum* videmus.

Secivum. Fest. p. 348a 16: *Secivum est quod secespita secatur libum seu placenta, quae soleat necessariis sacrificiis adhiberi;* cf. Paul. 349, 3.

Simpuvium (simpulum). Schol. Iuv. VI 343: *Simpuvium. Vas sacrificiis aptum in quo pontifices lavare solebant. simpuvium autem quia omnes sacerdotes simul bibebant, unde simpuviatrix illa dicitur, quae porrigit poculum ipsud;* cf. Non. p. 544 M. Arnob. VII 29. IV 31. Cassiodor. de orthogr. G. L. VII p. 181, 4. Apul. de Mag. c. 18. Ab hoc vocabulo seiungi non potest *simpulum:* Paul. Fest. p. 337, 10. Varr. de l. l. V 124. Plin. n. h. XXXV 158. Tert. apol. c. 13. Arnob. IV 31. Gloss. Lat. II 148, 17. Ceterum etiam in dialecto Umbrica invenitur; Kirchhoff enim (*Umbr. Sprachdenkm.* II 371) *seples* nihil aliud esse cognovit nisi *simpulis;* cf. Buecheler Umbr. p. 156. Veterum vocabuli explicationes a sumendo (Varro) vel a simul bibendo (Schol. Iuv.) derivatae, quin falsae sint, non dubitatur. Aliter atque in voc. *templum*, quod ex *temlum* ortum est, in voce *simpulum* *p* littera orta est. Hic enim *p* ad radicem pertinet, ut iam ex vocabuli forma *simpuvium* apparet. Falso igitur Fick (*Wörterb.*[4] I 562) *simpulum* coniunxit cum lit. *semiù*, quod est haurire, neque mihi persuasit Solmsen (*Stud. z. lat. Lautgesch.* p. 159) sonum *p* vocis *simpuvium* e *simpulum* introductum esse contendens.

Solitaurilia, Suovetaurilia. Fest. p. 293a 10: *Solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem*

significat: tauri, arietis, verris, quod omnes eae solidi integrique sint corporis (contrarium boves, verbices maialesque), quia solum Osce totum et solidum significat. unde tela quaedam soliferrea vocantur tota ferrea et homo bonarum artium sollers, et quae nulla parte laxata cavaque sunt, solida nominantur. atque harum hostiarum omnium inviolati sunt tauri, quae pars scilicet caeditur in castratione. Sunt quidem qui putent ex tribus hostiis praecipue nomen inclusum cum solido tauri, quod amplissima sit earum. quidam dixerunt omnium trium vocabula confusa suis ovis tauri adeffecisse id, quod uno modo appellarentur universae. Quod si a sollo et tauris earum hostiarum ductum est nomen, antiquae consuetudinis per unum l enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo . . . . cf. Paul. p. 189a. 292, 1. Val. Max. IV 1, 10. Ps. Ascon. ad Cic. div. in Caecil. 3 § 7 p. 103, 18 Or. Eiusdem sacrificii alterum nomen *suovetaurilia* legitur apud Quint. I 5, 67. Cat. de agric. 141, 3. 144, 1. Varro de r. r. II 1, 10. Liv. I 44, 2. Act. fr. Arv. C. I. L. VI 2099 v. 23. 2107 v. 18. Tac. Ann. VI 37. Charis. G. L. I p. 108, 27. Vocabulum *suovetaurilia* veteres (cf. Charis. l. c.) dixerunt compositum esse ex *sue, ove, tauro.* Cui obstitit Jordan (*Krit. Beitr.* p. 164). Sed falso. *Suovetaurus* quidem nunquam in sermone Latino exstitit; quid vero impedit, quominus *suovetaurilis* dicamus, sicut *strufertarius* (Paul. Fest. 85, 9) dicitur is qui strue et ferto sacrificat? cf. Skutsch *De nominum latin. compos.* p. 25. Buecheler (Umbr. 98) ad Umbrica *enumek apretu tures et pure* (tunc ambito tauris et igne), quae leguntur Tab. Iguv. I b 20, recte dicit hoc loco per *tures* non tauros solos sed etiam oves suesque intellegi. Quod vero pergit: „sic Romae in lustro cum fieret suovitaurilibus, Africanus apud Ciceronem de or. II 268 *lustrum condidit et taurum immolavit*, et quod summatim dicebant tauros, idcirco solitaurilia ipsa illa suovitaurilia appellare insuerunt“ virum egregium non sequimur: cur enim, si sum-

matim dicebant tauros, illa sacrificia non *taurilia* dicebantur?

Vocis *solitaurilis* alia interpretatio atque ea, quam Fest. l. c. praebet, non invenitur. Quod vero *solitaurilis* et *suovetaurilis* unum atque idem vocabulum esse dicitur, sensu caret. Error inde fortasse natus est, quod in utroque sacrificio eaedem hostiae mactabantur et inter utrumque nomen certa similitudo est.

Subsilles. Fest. p. 306a 23: *Subsilles sunt, quas alii ipsullices vocant, lamellae in sacris, quae ad rem divinam conferre dicuntur maxime specie virum et mulierum;* cf. Paul. p. 105, 14.

Succidaneus. Gell. N. A. IV 6, 5: *Succidaneae autem hostiae dicuntur ae littera per morem compositi vocabuli in i litteram tramutata. Nam quasi succaedaneae appellatae, quoniam si primis hostiis litatum non erat, aliae post easdem ductae hostiae caedebantur; quae quia prioribus iam caesis luendi piaculi gratia subdebantur et succidebantur, succidaneae nominatae littera i scilicet tractim pronuntiata....* cf. Paul. p. 303, 3. Fest. p. 302a 23. Serv. ampl. Aen. II 140. Serv. Aen. VIII 641.

Suffibulum. Fest. p. 348a 25: *Suffibulum est vestimentum album praetextum quadrangulum oblongum, quod in capite virgines Vestales, cum sacrificant, semper habere solent idque fibula comprehenditur;* cf. Paul. p. 349, 8. Varro de l. l. VI 21. Nomen recte ex fibula Festus interpretatus est.

Summanalia. Fest. p. 348b 5: *Summanalia liba farinacea in modum rotae ficta;* cf. Paul. p. 349, 9. Fortasse haec liba nomen acceperunt a Summano; cf. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 124. Preller *Röm. Myth.* I³ p. 244.

Tutulus. Fest. p. 355a 29: *Tutulum vocari aiunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea*

innexa crinibus et exstructum in altitudinem. Quidam pilleum lanatum forma metali[1]) *figuratum, quo flamines et pontifices utantur, eodem nomine vocari. Ennius: libaque fictores, argeos et tutulatos;* cf. Paul. p. 354, 7. Varro de l. l. VII 44. Dionys. Halic. II 22, 2. Serv. Aen. II 683. Fulgent. p. 116, 4. 5 H. Gloss. Lat. V 624, 25. Fortasse pertinet ad Graecum τύλη, τύλος.

B.

Acerra. Paul. Fest. p. 18, 7: *Acerra ara quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant. alii dicunt arculam esse thurariam, scilicet ubi thus reponebant.* Nisi aram hoc vocabulo designari posse Paulus addidisset, in nostram collectionem non recepissem.

Adolere. Serv. Verg. Aen. I 704: *Adolere proprie est augere. In sacris autem* κατ' εὐφημισμόν *adolere per bonum omen dicitur, nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur;* cf. Diomed. G. L. I 377, 17. Priscian. G. L. II 489, 4. Non. p. 58. 247 M. Schol. Stat. Theb. I 514. Serv. ecl. VIII 65. Perfectum et in *-ui* et in *-evi* fingitur: Enn. ap. Lact. I 11, 6. Etiam *adolere* in Umbrica dialecto legitur *ur̦etu* (adoleto): Kirchhoff *Umbr. Sprachdenkm.* II 369.

Apex. Serv. ampl. Aen. X 270: *dicitur autem apex virga, quae in summo pilleo flaminum lana circumdata et filo conligata erat, unde etiam flamines vocabantur. Hoc autem nomen a veteribus tractum est; apere enim veteres ritu flaminum adligare dicebant, unde apicem dictum volunt.* Apparet inde (cf. etiam Serv. Aen. II 683. Paul. p. 10, 12. 18, 9.) *apicem* a principio nihil significasse nisi illam virgam; cf. etiam Elog. Scip. C. I. L. VI 1288. Postea totum capitis tegimen *apex* nominabatur: Serv. ampl.

[1]) Mercklin *Philolog.* XII p. 201 pro *metali metae* scribendum esse haud absurde coniecit.

Aen. II 683. Isidor. Orig. XIX 30, 5. Gell. N. A. X 15, 17. Serv. Aen. I 305. Eiusdem originis qua *apex*

Apiculum est. Paul. Fest. p. 23, 2: *Apiculum filum, quo flamines velatum apicem gerunt.*

Arculus. Serv. ampl. Aen. IV 137: *Arculum* (per errorem neutrius generis esse putat) *est virga ex malo Punica incurvata, quae fit quasi corona et ima summaque inter se alligatur vinculo laneo albo, quam in sacrificiis certis regina in capite habebat, flaminica autem Dialis omni sacrificatione uti debebat;* cf. Paul. Fest. p. 16, 6. Cum hoc vocabulo coniungendum est inarculum (Paul. Fest. p. 113, 18.) et arculata: Paul. Fest. p. 16, 9: *Arculata dicebantur circuli, qui ex farina in sacrificiis fiebant.* Umbricam formam *arçlataf* Kirchhoff cum *arculata* coniunxit; cf. *Umbr. Sprachdenkm.* II 376. Vocabula originem ducere ab *arcus*, quae vox orta est ex *arquos*, gen. *arqui*, Bersu (*Die Gutturalen und ihre Verbindung mit v im Lateinischen* p. 121. 133) ostendit.

Bidens. Gell. N. A. XVI 6, 12—15: *Publius Nigidius in libro quem de extis composuit bidentes appellari ait non oves solas, sed omnes bimas hostias, neque tamen dixit apertius, cur bidentes; sed quod ultro existimabamus, invenimus in commentariis quibusdam ad ius pontificum pertinentibus:* bidennes *primo dictas d littera immissa quasi* biennes, *tum longo usu loquendi corruptam vocem esse et ex* bidennibus bidentes *factum, quoniam id videbatur esse dictu facilius leniusque. Hyginus tamen Iulius, qui ius pontificum non videbatur ignorasse, in quarto librorum quos de Vergilio fecit, bidentes appellari scripsit, quae per aetatem duos dentes altiores haberent. Verba illius ipsa posui: quae bidens est, inquit, hostia, opportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per quos appareat ex minore aetate in maiorem transcendisse;* cf. Paul. Fest. p. 33, 10. 35, 2. 66, 16. Gellium verbotenus exscripsit Macrob. Sat. VI 9, 1—7; cf. Serv. Aen. IV 57. VI 39. Isidor. Orig. XII 1, 9. Plin. n. h. VIII 206.

Gloss. Lat. II 29, 36—37 etc. Primo obtutu apparet eam explicationem, quae dicit oves bidentes bidennes i. e. duorum annorum esse, sensu carere. *Bi-dens* nil aliud significare potest nisi duorum dentium. Ac primo quidem oves tantum sic appellatas esse ex Festi locis supra laudatis conicitur; cf. Olck in Encycl. real. III p. 426, 57; deinde nomen ad omnes hostias translatum est. Ceterum Paulus p. 4, 17 falso eas ovis bidentes dictas esse putat, quarum et superior et inferior dentium series completa sit; id quod significat *ambi-dens.*

Contingere. Serv. ampl. Aen. III 234: *polluit contingit; et pollutum sacrificium contactum dicitur.* Ab eadem radice formatur qua *ad-teg-rare,* ubi vide.

Convellere. Serv. ampl. Aen. XI 19: *alii vellere movere accipiunt. Ennius: rex deinde citatus convellit sese, et in sacris convelli mensa dicitur, cum tollitur.* Apud Fest. p. 158a 18 (v. *Migrare mensa*), quantum ex vocabulis misere corruptis intellegi potest, dictum fuerat, tales mensas sacras sine quibusdam caerimoniis movere non licuisse.

Cululla. Porphyr. ad Hor. carm. I 31, 11: *Dives ut aureis mercator exsiccet culullis: culullis pro poculis dixit. Proprie autem culillae calices sunt quidam fictiles, quibus pontifices virginesque Vestales in sacris utuntur:* cf. Horat. art. poet. 434. Hoc vocabulum qua ratione etymologica interpretari possimus nescio; fortasse coniungendum est cum graeco κύλιξ.

Dare. Serv. ampl. Aen. VIII 106: *dabant verbo sacrorum usus est, nam dici solebat in sacris: da quod debes de manu dextra aris;* cf. Arnob. adv. nat. VII 29. Gloss. Lat. IV 327, 22.

Damnatus. Macrob. Sat. III 2, 6: *Haec vox proprie sacrorum est, ut* reus *vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat,* damnatus *autem, qui promissa vota iam solvit.*

Deformus. Paul. Fest. p. 83, 11: *Forma significat modo faciem cuiusque rei, modo calidam, ut cum exta quae*

dantur, deforma appellantur; cf. Paul. 84, 3. 91, 14. Serv. Aen. VIII 453. XII 404; Georg. IV 175. Donat. ad Ter. Phorm. I 2, 57. Schol. Veron. Aen. IV 149. G. L. VI 26, 11. VII 161, 2. Non. p. 531 M. Isidor. orig. X 99. XIX 7, 3. XX 13, 3. Gloss. Lat. V 22, 3.

Denicalis. Paul. Fest. p. 70, 9: *Denicales feriae colebantur cum hominis mortui causa familia purgabatur. Graeci enim νέκυν mortuum dicunt;* cf. Cic. de leg. II 55. Serv. ampl. Verg. Georg. I 270. Gell. N. A. XVI 4, 4. Colum. II 11, 5. Fest. p. 242b 29. Denicalis significat eum, qui sit *de nece.*

Eximius, egregius. Macrob. Sat. III 5, 6: *eximii quoque in sacrificiis vocabulum non poeticum ἐπίθετον sed sacerdotale nomen est. Veranius enim in Pontificalibus Quaestionibus docet eximias dictas hostias, quae ad sacrificium destinatae eximantur a grege vel quod eximia specie quasi offerendae numinibus eligantur;* cf. Paul. Fest. p. 82, 3. Donat. ad Ter. Hecyr. I 1, 9, ubi de *egregius* verba fiunt. Paul. p. 80, 17. 23, 8. Serv. ampl. Verg. Aen. IV 93.

Extraneus. Paul. p. 79, 1: *Exterraneus ex alia terra. extraneus quoque dicitur, qui ante tempus natus vel potius eiectus est; dictus autem exterraneus, quod eum mater exterrita alvo eiecit.* Quam glossam qui ex Festo descripsit grammaticus Gloss. Lat. V 197, 9 cum in fine addat *quod genus hostiarum sacris non adhibetur,* vocabulum inter pontificalia recepi. Ab *exterrere* id explicari non posse per se intellegitur.

Futtilis. Serv. Aen. XI 339: *non futtilis auctor non inanis. nam futtile vas quoddam est lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Vestae, quia aqua ad sacra Vestae hausta in terra non ponitur, quod si fiat, piaculum est: unde excogitatum vas est, quod stare non posset, sed positum statim effunderetur;* cf. Lact. Plac. ad Stat. Theb. VIII 297. Donat. ad Ter. Andr. III 5, 3; Hecyr.

V 1, 19; Phorm. V 1, 19. Isid. orig. X 109. — Veterum veriloquium rectum est. Videtur *futtilis* positum esse pro *fūtilis*; cf. *exfuti effusi* (Paul. Fest. p. 81, 10), *futis* (Varro de l. l. V 119). Lat. *fu-* ortum est ex *fou-* cf. Graec. χευ-.

Galerus. Serv. ampl. Aen. II 683: *galerum pilleum ex pelle hostiae caesae;* cf. Gell. N. A. X 15, 32. Serv. Aen. VII 688. Isid. orig. XIX 30, 5. Lact. Plac. ad Stat. Theb. I 305. Paul. p. 10, 12.

Glomus. Paul. Fest. p. 98, 4: *glomus in sacris crustulum cymbi figura ex oleo coctum appellatur.*

Humanus. Paul. Fest. p. 109, 4: *Humanum sacrificium dicebant, quod mortui causa fiebat*; cf. Gell. N. A. V 12, 12, ubi Vediovi *ritu humano* capram immolari narrat. Preller *Röm. Myth.* I p. 265, 1 hoc sacrificio ostendi putat priscis temporibus homines diis a Romanis oblatos esse, in quo sacrificio postea hostiae hominum necandorum officio fungebantur. Id quod falsum est; nam ut Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 354 probavit, priscis temporibus nunquam a Romanis homines sacrificati sunt. *Humanum* autem sacrificium ab humando et humatione nomen accepit. Nam mortui collocationem, pompam funebrem sequebatur humatio (Cic. Tusc. I 102. 104), in qua variae ritus caerimoniaeque observabantur (Varro de l. l. V 23. Cic. de leg. II 55. Paul. p. 148 v. *Membrum abscidi*), quibus absolutis mortui familia purgabatur. Eodem pertinent vocabula pontificalia:

Humatus et inhumatus. Varro de l. l. V 23; cf. Cic. de leg. II 57.

Incohare. Serv. Aen. VI 252: *Incohat autem perficit; et est verbum sacrorum;* cf. osc. *pun far kahad: wann er Mehl bereitet* (Bugge *Altital. Stud.* p. 34).

Indicere. Serv. ampl. Aen. III 264: *indicit sacrorum verbo usus est, nam supplicationes et dies festi indici dicebantur*; cf. Varro de l. l. VI 61. Cic. de leg. II 61.

Litare, litatio. Serv. ampl. Aen. II 119: *et litare verbo pontificali usus est, id est sacrificiis deos placare;* cf. Schol. Stat. Theb. X 610. Serv. ampl. Aen. IV 50. Macrob. Sat. III 5, 4. Cic. de div. II 38. Liv. XXVII 23, 4 etc. Marquardt *Röm. Staatsverw.* III p. 182, 10.

Mactus, mactare, magmentum, magmentarium, augmentum. Serv. ampl. Aen. IV 57: *mactant verbum sacrorum κατ' εὐφημισμόν dictum, quasi magis auctum; unde et magmentum dicebant quasi maius augmentum. olim enim hostiae immolatae dicebantur mola salsa tactae; cum vero ictae et aliquid ex iis in aram datum, mactae dicebantur per boni ominis significationem. Mactus* primum in imprecatione eius dei adhibetur, cui sacrificium fit: Arnob. VII 31. Serv. Aen. IX 641. Cato de agric. 134. Deinde etiam de hostiis dicitur, quibus post immolationem vinum superfundebatur: Serv. l. c. Isid. orig. X 165; cf. Corssen (*Zeitschr. f. vgl. Sprachf.* III 270): *ein mit Wein und Weihrauch „gemehrtes" . . . Opfertier heisst mactus, ein „gemehrtes" . . . Opfer magmentum. — Mactus mactare* facit: Non. p. 341 M. — *Magmentum,* quod ab eadem radice derivatur, carnes significat, quae ad exta additae in aris ponebantur (cf. Marquardt *Röm. Staatsverw.* III p. 184. Varro de l. l. V 112). Nihil aliud significat *augmentum* (Varro de l. l. V 112); cf. Lübbert *comment. pontif.* p. 128 sq. *Magmentaria* autem loca sunt, in quibus illa magmenta vel augmenta conficiebantur. Varro de l. l. V 112. Cic. de har. resp. 31 (sec. Mommsenum). Gloss. Lat. II 126, 13.

Movere. Serv. ampl. Aen. IV 301: *verbo antiquo usum tradunt: moveri enim sacra dicebantur, cum sollemnibus diebus aperiebantur templa instaurandi sacrificii causa; hoc vulgo apertiones appellant.*

Obsistere. Fest. p. 193a 4: *Obstitum Cloatius et Aelius Stilo esse aiunt violatum attactumque de caelo. Cincius quom qui deo deaeve obstiterit, id est qui viderit quod videri nefas esset;* cf. Cic. de leg. II 9.

Optare. Fest. p. 186b 19: *Optatam hostiam, alii optimam appellant eam, quam aedilis tribus constitutis hostiis optat, quam immolari velit.*

Pastillum. Fest. p. 250b 30: *Pastillum est in sacris libi genus rotundum;* cf. Paul. p. 251, 13. *Pastillum* diminutivum participii *pasto-* est.

Pecunia. Fest. p. 245b 25: *Pecunia sacrificium fieri dicitur, cum frugum fructuumque causa mola pura offerebatur in sacrificio, quia omnis res familiaris quam pecuniam nunc dicimus, ex his rebus constat.*

Penitus. Arnob. adv. nat. VII 24: *offa autem penita est cum particula visceris cauda pecoris amputata;* cf. Fest. p. 230b 21. 242b 24. Naev. Com. fr. 102.

Perplovere. Fest. p. 250b 29: *Pateram perplovere in sacris cum dicitur, significat pertusam esse.* Remansit igitur in sollemni sermone antiqua forma, quae vulgo *pluere* facta erat.

Pius, quae vox et ipsa in sacro sermone usitata erat; cf. Serv. ampl. Aen. I 378. V 745. Ecl. VIII 82. Arnob. VII 26; vide etiam purus p. 77.

Pilleum. Isid. orig. XIX 21, 3: *Pilleum est ex bisso rotundum quasi sphaera media, caput tegens sacerdotale et in occipitio vitta constrictum. Hoc Graeci et nostri tiaram vel galeriam vocant.* — Hoc vocabulum compluriens usurpatum, quia caput sacerdotale tegere Isidorus narrat, inter pontificalia recepi. Coniungendum est cum *pilum* et Graeco *πῖλος;* cf. Joh. Schmidt *Zeitschr. f. vgl. Sprachf.* XXXII 387.

Pollucere. Varro de l. l. VI 54: *Id dicitur polluctum, quod a porriciendo est fictum, cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in aram, tum polluctum est, ut quom profanatum dicitur, id est proinde ut sit fani factum; itaque olim fano consumebatur omne, quod profanum erat, ut etiam fit, quod praetor urbanus quotannis facit, quom Herculi immolat publice iuvencam;* cf. Fest. p. 253a 17.

C. I. L. I 1175. Inde tantum colligitur proprie polluceri de iis dici quae deo offeruntur, profanari de iis, quae hominibus consumenda traduntur; cf. Marquardt *Röm. Staatsverw.* III p. 149. Lübbert *comment. pontif.* p. 3 sq. In Herculis autem sacrificio utrique vocabulo eandem vim attribui Marquardt l. c. aperte exponit.

Porricere. Macrob. Sat. III 2, 2 . . . *nam et ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum verbum hoc sollemne sacrificantibus est, sicut Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius verbi exsecutus est: exta porriciunto, dis danto in altaria, aramve focumve eove, quo exta dari debebunt. porricere ergo, non proicere proprium sacrificii verbum est.* Nihilominus Spengel apud Varronem de l. l. VI 16 et 54 *proicere* scribere maluit; cf. Serv. Aen. V 238. Plaut. Pseudul. 266. Varro de r. r. I 29, 3. Arnob. II 68. Fest. p. 218a 25.

Praesentaneus. Fest. p. 250b 25: *Praesentanea porca dicitur, quae familiae purgandae causa Cereri immolatur*, *quod pars quaedam eius sacrificii fit in conspectu mortui eius, cuius funus instituitur;* cf. Mar. Victorin. G. L. VI 25, 16, secundum quem Festi textus laceratus restitutus est, et praeterea Cic. de leg. II 57.

Proculiunt. Fest. p. 253a 12: *Proculiunt promittunt ait significare Antistius de iure pontificali l. IX.*

Profanare. Varro de l. l. VI 54: *Hinc* (sc. a fando) *fana nominata, quae pontifices in sacrando fati sunt finem. Hinc profanum, quod est ante fanum coniunctum fano; hinc profanatum, quod in sacrificio.* Profanare duplici usurpatum invenimus significatione: Cato de agric. 50, 2. 132, 2 intellegit *profanare* ante fanum sacrificare. Sed multo saepius dicitur *profanari* quod ex religioso vel sacro in hominum usum proprietatemque conversum est. Fest. p. 218a. Marquardt *Röm. Staatsverw.* III p. 148. Ceterum recte Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 399, 10 ostendit, quae Trebatius apud Macrob. Sat. III 3, 4 et

Serv. Aen. XII 779 de *profanum* vocis significatione dicunt, per errorem de voce *profanatum* illuc translata esse.

Pulcher. Fest. p. 238b 16: *Pulcher bos appellatur ad eximiam pinguitudinem perductus;* cf. p. 33.

Pulpamenta assa. Arnob. VII 24: *Non enim placet carnem strebulum nominare, pulpamenta non assa, quae*[1]) *in veribus exta sunt, animata prunis et torrefacta carbonibus.*

Purus. Hoc vocabulum inter pontificalia receptum est, quod omnia, quae ad sacrificandum adhibebantur, *pura* appellabantur, si sic comparata erant, ut nullum piaculum committeretur; cf. Serv. Aen. IV 683. Fest. p. 249b 7. Paul. p. 248, 9. Fest. p. 253a 3. Paul. p. 14, 8. Fest. p. 318a 7. Varro de r. r. II 1, 20. 4, 16. Plin. n. h. VIII 206. X 156. etc.

Reddere. Serv. Georg. II 194: *reddimus exta: sacerdotum usus est verbo, reddi enim dicebantur exta, cum probata et elixa arae superfundebantur;* cf. Aen. VIII 269.

Respergere. Fest. p. 262a 15: *Resparsum vinum apud antiquos significat vinum rogo inspersum, quod in sacris novendialibus vino mortui sepulcrum spergebatur; quae sacra fiebant die nono;* cf. Paul. p. 263, 4. Plin. XIV 88. Hic quoque in sacris remansit antiqua forma; cf. perplovere p. 75.

Rica. Fest. p. 289b 19: *Rica est vestimentum quadratum fimbriatum purpureum, quo flaminicae pro palliolo mitrave utebantur, ut . . . existimat. Titius autem ait, quod ex lana fiat sucida alba vestimentum dici ricam idque esse triplex, quod conficiant virgines ingenuae patrimae matrimae cives, quod confectum lavetur aquà perenni et*

---

[1]) Meursium *non* ante *quae* falso inseruisse totius sententiae sensus evincit; totum enim caput quasi praeteritio est, qua singula pontificum vocabula, quae ad sacrificandi ritum pertinent, enumerata vel per participia vel per sententias relativas explicantur.

tingendo fiat caeruleum; cf. Paul. p. 288, 10. Fest. p. 277a 5. Paul. p. 276, 1. Gell. X 15, 28. Serv. ampl. Aen. IV 137. Non. p. 539 M. Varro de l. l. V 130: *sic rica ab ritu. Rīca* mutatum est ex *vrīca*, pertinet autem ad palaeotheod. *wrīhan* (*verhüllen)*, anglos. *wrígels (Verhüllung)*, cf. Zupitza *Bezzenberg. Beitr.* XXV 105.

Sacris. Hanc vocabuli formam in sacrorum sermone in usu fuisse Fest. p. 318a 7. Varro de r. r. II 1, 20. II 4, 16 demonstrant.

Silicernium. Fest. p. 294a 18: *Silicernium dicitur coena funebris, quam Graeci περίδειπνον vocant. sed Verrius existimat cibi genus, quod nos farcimen dicimus, quo purgabatur fletu familia, silicernium dici, quod cuius nomine ea res instituebatur, is iam silentium cerneret. Caecilius Obolostate: credidi silicernium eius me esse esurum;* cf. Paul. p. 295, 2. Non. p. 48 M. Donat. ad Ter. Ad. IV 2, 48. Serv. Aen. V 92. Fulgent. p. 114, 6. 9 H. Huius vocabuli in interpretatione etymologica ut iam veteres varias ingressi sunt vias, sic etiam nostri magnopere inter se dissentiunt. *Cernium* ortum est ex *cersnium;* cf. osk. *kerssnaís* (cenis), lat. *Ceres.* Conway (*Idg. Forschg.* II 158) priorem huius vocabuli partem ortam esse dicit ex *seli-,* quam vocem in *seliquastra* (*genus sellae* Fest. p. 340b 10) videmus; *l* littera igitur secundum eum ex *d* nata est. Itaque *silicernium* vernacula lingua est *Sitzmahl.*

Sistere. Fest. p. 351a 4: *Sistere fana cum in urbe condenda dicitur, significat loca in oppido futurorum fanorum constituere, quamquam* (sic Huschke; cod. *quam*) *Antistius Labeo ait in commentario XV iuris pontificii fana sistere esse lectisternia certis locis et dis habere;* cf. Paul. p. 350, 1.

Spurcus. Fest. p. 348b 19: *Spurcum vinum est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius l. X commentarii iuris pontificii, cui aqua admixta est defrutumve aut igne tactum est, mustumve antequam defervescat;* cf. Plin. n. h. XIV 119. Isid. orig. XX 3, 7.

Strebula. Varro de l. l. VII 67: *In Cesistione: De strebula aut de lumbo obscoena viscera. Stribula, ut Opilius scribit, circum coxendices sunt bovis; id Graecum est ab eius loci versura*; cf. Paul. p. 312, 5. Fest. p. 313a 34. Arnob. adv. nat. VII 24. 25.

Strues. Fest. p. 310b 25: *Strues genera liborum sunt digitorum coniunctorum non dissimilia, qui superiecta panicula in transversum continentur*; cf. Paul. p. 311, 9. Cato de agric. 134, 2. 141, 1. Ov. fast. I 276. In dialecto Umbrica invenimus similem vocem, quae sine dubio cum nostro coniungenda est: *struhçla.* Nomen deducitur a struendo, cui radix *steru-* subest.

Subigere. Fest. p. 351a 8: *Subigere arietem in eodem libro* (sc. *commentario XV iuris pontificii*) *Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, caedatur.*

Subucula. Fest. p. 309a 25: *Subuculam Aelius Stilo et Cloatius isdem fere verbis demonstrant vocari quod diis detur ex alica et oleo et melle. nam de tunicae genere notum est omnibus.* Quomodo factum sit, ut vestimenti nomen a *sub-uere* (cf. *induere*) formatum ad illam sacrificii oblationem transferretur, nescio. Buecheler Umbr. p. 55 ex Athenaeo XIV 647 D affert σουβίτυλλον, cui vocabulo certe lat. *subutillum* suberat.

Supponere. Serv. Aen. VI 248: *supponunt cultros id est victimas caedunt. fuit autem verbum sacrorum, in quibus mali ominis verba vitabant. hinc est, quod et mactare dicebatur, quod magis augere significat.*

Taeda. Arnob. adv. nat. VII 24: *Quid taedae, quid neniae . . . . ex quibus quod primum est, in exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more.*

Tenere. Serv. Georg. III 16: *templumque tenebit. id est ipsi templum dabo. et verbo usus est pontificali. nam qui templum dicabat postem tenens dare se dicebat numini, quod ab illo necesse fuerat iam teneri et ab humano iure discedere*; cf. Liv. II 8, 7 sq. Cic. de domo 133. Plut. Poplicol. 14. Quod legimus Gloss. Lat. IV 430, 13:

aras tenentem apud aras agentem huc non spectat; cf. Serv. Aen. IV 219.

Taurus. Serv. ampl. Aen. II 140: *nam hostia quae sterilis est, taurea appellatur;* cf. Fest. p. 352a 15. Paul. p. 353, 1. Varro de r. r. II 5, 6. Colum. VI 22.

Tescum. Fest. p. 356a 14: *Tescà Verrius ait loca augurio designata, quo sit termino finis in terra auguri. Opilius autem Aurelius loca consecrata ad augurandum scripsit. sed sancta loca undique saepta docent pontificii libri, in quibus scriptum est: Templumque sedemque tescumque sive deo sive deae dedicaverit, ubi eos accipiat volentes propitiosque. Hostius belli Histrici l. I: Per gentis alte aetherias atque avia tesca perque volabis templa antiqua deum. Cicero vero aspera difficilia aditu dixit cum ait: Loca aspera saxea, tesca tuor. Accius in Philocteta: Quis tu es mortalis qui in deserta et tesqua te adportas loca?* cf. Varro de l. l. VII 8—10. Schol. Hor. ep. I 14, 19. Isidor. orig. XV 12, 3. Sabinorum e lingua vocabulum translatum esse Ps. Acro ad Hor. l. c. dicit; id quod falsum est; nam si Sabinorum e lingua vocabulum originem duceret, Latine *tespos* esset. Tescus vocabulo subest *tvesquos*, unde *tesquos* fit; cf. praeterea Fick *Wörterb.*[4] I 450.

Venia. Serv. Aen. I 519: *orantes veniam, pacem propter incendium navium. et proprie verbum pontificale est. dicta autem venia ad eliciendam misericordiam; meretur enim benivolentiam numinum; qui licet innocens sit, veniam tamen tanquam pecaverit petit.*

Vitulari. Macrob. Sat. III 2, 11: *Primo pontificii iuris libro apud Pictorem verbum hoc positum est vitulari, de cuius verbi significatione Titius ita retulit: vitulari est voce laetari. Varro etiam in libro quinto decimo Rerum Divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Graeci παιανίζειν vocant. et ut huic vocabulo diutius immoremur, Hyllus libro, quem de dis composuit, ait Vitulam vocari deam quae laetitiae praeest. Piso ait*

vitulam victoriam nominari. cuius rei hoc argumentum profert, quod postridie Nonas Iulias re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam versus sit — unde Populifugia nominantur — post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio: cf. Paul. p. 369, 14. Varro de l. l. VII 107. Schol. Bern. Verg. Ecl. III 77. Recte Varro vitulari a vitula deducit. Cum vocabulo *vitulus* cf. Graec. ἰτέλον (Collitz, *Griech. Dial.-Inschr.* 3721 11) et ἀρνηάδων ἔταλα in titulo Aegis invento (Hoffmann, *Griech. Dial.* II no. 155a).

Corrigendum.

p. 48 n. 1 legendum est: cf. *fitilla* p. 56, *prosiciae* p. 64, *simpulum* p. 66, *adolere* p. 69, *arculata* p. 70, *strues* p. 79.

Vita.

Natus sum Fridericus Ludovicus Maximilianus Kretzer in urbe quae Halberstadt vocatur a. d. XVII Kal. Jun. a. 1879, patre Friderico, quem abhinc V annos morte mihi ereptum lugeo, et matre Elisabeth e gente Osterwald. Fidem profiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis in ludo qui in oppido Gernrode est, institutus a. 1889 frequentare coepi gymnasium Sancti Stephani Ascaniense, quod floret adhuc R. Steinmeyer directore. Inde vere a. 1898 maturitatis testimonium nanctus Lipsiam commigravi, ut studiis philologicis et historicis operam darem. Insequenti anno postquam sex menses Universitatis Monacensis civis fui academicus, Berolinam me contuli, unde post duo semestria Halas profectus sum, ut studia continuarem et absolverem.

Docuerunt me viri illustrissimi

Lipsienses: Brugmann, Heinze, Immisch, Lipsius, Steindorff, Wachsmuth, Windisch, Zarncke.

Monacenses: v. Christ, Drerup, v. Müller, Traube, Wölfflin.

Berolinenses: Diels, Helm, Kekule v. Stradonitz, Kirchhoff, Kübler, Schöne, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff.

Halenses: Bechtel, Blass, Dittenberger, Ihm, Kirchhoff, Lindner, Ed. Meyer, Riehl, Robert, Schwarz, Vaihinger, Uphues, Wissowa.

Proseminarii philologici Halensis per sex menses, seminarii philologici per duo semestria sodalis fui ordinarius directoribus vv. dd. Blass, Dittenberger, Wissowa. Exercitationibus philologicis ut interessem benigne mihi permisit v. d. Ihm, archaeologicis v. d. Robert. Ad exercitationes seminarii historici per bina semestria comiter me admiserunt viri ill. Ed. Meyer et Lindner.

Quibus viris omnibus optime de me meritis, inprimis F. Bechtel et G. Wissowa, studiorum fautori benignissimo, quantas debeam gratias dum vivam nunquam obliturum me esse polliceor.